& ideò ſupernaturalis eſt tantum quoad modum, non autem quoad ſubſtantiam, ſicut erit in patria, quando videbimus Deum, ſicuti eſt, & hoc ſufficit, ut dicatur participatio quædam illius notitiæ claræ ſupernaturalis quoad certitudinem, & infallibilitatem; Et quamvis hæc notitia ſuppleatur per principium ſupernaturale quoad ſubſtantiam, qualis eſt habitus infuſus, non tamen ſequitur, notitiam per ipſum cauſatam eſſe pariter ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modum, ut patet ex dictis *n.* 207.

Ad aliud negatur conſequentia, illi namque aſſerebant, ex puris naturæ viribus, credentibus dari gratiam ex debito ad perficiendum, itaut homo inciperet, & Deus perficeret; at nos è contrà profitemur, aſſenſum fidei ex naturalibus ſine gratia eſſe infructuoſum ad iuſtificationem; Neque aſſenſus fidei præcisè ſecundum ſubſtantiam conſideratus, præſcindendo à ſupernaturalitate, eſt ullo modo diſpoſitio de congruo ad juſtificationem, ſed tantum aſſenſus fidei, ut oportet, quo pacto involuit modum ſupernaturalitatis, & ideò nullo modo ſequitur initium noſtræ ſalutis eſſe ab homine, quia ut eſt ab homine viribus propriis elicitus ille aſſenſus non eſt diſpoſitio nec quidem de congruo ad ſalutem.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An differentia inter actus naturales, & ſupernaturales ſemper proveniat ex ipſo obiecto.

213 HÆc difficultas communis eſt etiam actibus Spei, & Charitatis, aliarumque virtutum infuſarum, an differant ſemper ex parte obiecti formalis motivi, nam de obiecto materiali non videtur eſſe dubium, quod per actum utriuſque generis attingi poſſit idem obiectum materiale v.g. reſtitutio alieni, vel abſtinentia à potu, tam poteſt eligi per actum naturalem, quàm per ſupernaturalem; differunt tamen in motivo, propter quod volumus reſtituere, vel abſtinere, aliquando enim eſt motivum naturale, aliquando ſupernaturale.

In qua celebri controverſia tres ſunt ſententiæ, duæ extremæ, & una media; Prima abſolutè affirmat ſemper differre actus naturales, & ſupernaturales ex parte obiecti formalis motivi, quæ eſt valdè communis in Schola Thomiſtarum, undè in ſpeciali de actu fidei aſſignant diverſitatem obiecti formalis dicentes, fide infuſa credi veritates, ut à Deo revelatas, fide verò acquiſita, qualem habent Hæretici circa multa myſteria, non credi, ut revelatas à Deo, aut ſaltem non quatenus divina revelatio proponitur per Eccleſiam, ſed mera perſuaſione humana; Similiter de actu charitatis, dicunt alium eſſe circa Deum, ut finem, & bonum ſupernaturale, alium circa Deũ, ut finẽ, & bonum naturale, ità Gaietanus, Medina, Conradus, Vaſquez, Suarez, Torres, Curiel, Turrianus, Tannerus, Bannes, Am cus, & alii Thomiſtæ paſſim.

Secunda Sententia extrema negat, ſemper differre actus naturales, & ſupernaturales ex parte obiecti formalis; eſtò enim quamplures ità differant; adhuc tamen plures alii ſunt actus, qui ſivè naturales ſint, ſive ſupernaturales, ſemper habent idem obiectum materiale, & formale, & ſolum differunt ex parte principii, quatenus unus petit fieri à ſolo principio naturali, alter verò petit oriri à principio etiam ſupernaturali; quæ ſententia præſertim Scoto tribui ſolet 3. *diſt.* 25. *q.* 2. & *diſt.* 37. *q.* 1. & omnibus, qui docent actum fidei infuſæ ſolum quo ad modum diſcriminari ab actu fidei acquiſitæ; & tenent Recentiores quamplures Molina, Coninch. Granad. Arriaga, Averſa, Lorca, Herize, & ex noſtris Poncius, & alii Scotiſtæ.

Tertia tandem Sententia media cenſet, loquendo de poſſibili, non repugnare actus virtutis naturalis, & infuſæ non diſtingui ex parte obiecti formalis; de facto tamen non dari actus naturales circà idem obiectum cum ſupernaturalibus, ita Cardin. de Lugo *diſp.* 9. *ſect.* 1. & quidam alii Recentiores.

ARTICULUS PRIMUS.

Sententia negativa præfertur.

214 SEntentia negativa, quod actus naturalis, & ſupernaturalis non neceſſariò differant ex obiecto formali, & motivo, traditur à Scoto 3. *diſt.* 27. *q. un. ar.* 2. ubi docet, quod dilectio, qua Deus propter ſe diligitur, ſivè ſit naturalis, ſivè ſupernaturalis, habet idem obiectum formale, ſcilicet bonitatem Dei, qua in ſe bonus eſt, quæ eſt eadem, ſivè quis diligat Deum amore naturali, ſive ſupernaturali, undè deducit, utrumque actum poſſe habere idem formale obiectum, quod etiam confirmat in ſolutione ad 4. princ. Et cùm ad hoc quidam ibi reſponderent, Deum eſſe obiectum amoris ſupernaturalis, prout eſt auctor rerum, ſeù donorum ſupernaturalium; amoris verò naturalis, quatenus eſt auctor naturaliũ. Hanc evaſionem optimè præcludit, ibidẽ §. *contrà primam viam*, quia eſtò hę conſiderationes, ſivè rationes formales poſſint in nobis diverſos concupiſcentiæ amores excitare, quibus Deum diligimus, tanquam nobis bonum, ſivè ut bonum noſtrum, tamen omninò impertinentes ſunt ad diverſitatem amorum amicitiæ, quibus Deus amatur propter ſe, & qua in ſe bonus eſt, abſtrahendo ab eo, quod ſit Auctor rerũ naturaliũ, aut ſupernaturalium, nam qua talis, potius eſt bonus nobis, quã in ſe.

215 Confir. quia Deus non ſolum eſt bonus, & amore dignus, & charitate amandus, quia eſt auctor iſtorum bonorum, ſed etiã ab his abſtrahendo; undè ſi per impoſſibile hęc bona aliundè haberemus, & non ab ipſo, adhuc eſſet verè propter ſuam bonitatem amabilis, & charitas ſub hac ratione propriè in eum tendit, quatenus in ſe præcisè bonus eſt; quamvis enim ex conſideratione donorum ipſius excitemur ad conſideratiõe bonitatis, & amabilitatis ipſius in ſe; tamen poſtea charitas in eum fertur ſine reſpectu ad dicta, purè ob intrinſecam ipſius bonitatem; & ità præcipuè Sancti ex conſideratione creaturarum ſępè in amorem Dei excitabantur, indè concludentes, quam ipſe in ſe bonus eſſet, pulcher, & amabilis, qui hæc tam bona, pulchra, & amabilia fecit; atque ità non conſiderabant tunc eum, ut auctorem rerum ſupernaturalium; & cum ex tali conſideratione tunc in ferventiſſimos amoris actus prorumperent, incredibile eſt omninò eos ſolùm elicuiſſe actus amoris naturalis; ergo in eo caſu actus amoris naturalis, & ſupernaturalis in idem obiectum formale, & motivum tendebant, nempe in bonitatem Dei abſolutè, & in ſe conſideratã, ut elegãter diſcurrit Coninch. *diſt.* 5. *dub.* 3. ex Scoto *lo. ci.*

Ratio autem eſt, quia quæcunque perfectio Dei eſt infinita, & per conſequens amabilis per charitatem, cuius obiectum formale eſt infinita Dei perfectio, quæ non ſolùm reſplendet in potentia producendi gratiam, & alia dona ſupernaturalia, ſed etiam in aliis divinis attributis, alioquin valdè diminuta eſſet charitas noſtra, quæ non poſſet allici ab infinita ſapientia, æternitate, iuſtitia, immenſitate, & aliis divinis perfectionibus ad ipſum amandum, ſed ſolùm à potentia, quam habet ad producendam gratiam, & alia dona ſupernaturalia; Patet ergò illam doctrinam non ſubſiſtere, quod actus dilectionis naturalis Dei tendit ad Deum, ut auctorem naturæ, actus verò dilectionis ſupernaturalis ad Deum, ut auctorem ſupernaturalem. Hanc eandem ſententiam docet Baſſolius 3. *diſt.* 28. *quæſt. un. art.* 1.

216 Secundò probatur, quia ſi virtus acquiſita non poſſet tendere in idem obiectum terminativum, & motivum, in quod tendit infuſa, poſſet quis cognoſcere, quandonam exerceat actus ſupernaturales, & ſic certus eſſe poſſet non ſolùm de ſua fide infuſa, ſed etiam de charitate, & gratia ſanctificante, quę ſemper confertur homini elicienti actũ ſupernaturalem dilectionis Dei ſuper omnia, quod eſt abſurdum; probatur cõſequentia, nam facile eſt diſcernere, quodnam obiectum, & quamnam rationem, vel formalitatem in obiecto quiſque apud ſe cognoſcendo, vel appetendo attingat; etenim experimento conſtat, an cognoſcamus obiectum ſub hac, vel illa ratione, an illud ob hanc, vel illam appetamus rationem, an alicui veritati ob divinum teſtimonium aſſentiamur, vel per aliud medium; ergò juxtà hoc diſcerneremus, quando intellectus, vel noſtra voluntas ferantur per ſuum actum in rationem obiectivam naturalem, & ſupernaturalem; ergò iuxtà hoc non diſtinguuntur actus naturalis, & ſupernaturalis, nec datur obiectum actuum ſupernaturalium, quod actibus naturalibus attingi non poſſit, & ratione cuius illi actus ab invicem diſtinguantur, alioquin benè quiſquis apud ſe perciperet, quando actus naturales exercet, & quando ſupernaturales.

Confirm. quia juſtus amans Deum amore ſupernaturali ob ejus bonitatem percipit obiectum motivum, & terminativum ſui actus; poſteà incidit in peccatum mortale, de quo confeſſus putat ſe gratiam recuperaſſe, quam tamen ob aliquem ſui defectum, vel Sacerdotis abſolventis non recuperavit; poteſt utique hic rurſus amare Deum, ſed non amore ſupernaturali ob gratiæ defectum, & charitatis ſupernaturalis; Vel ergò in hoc caſu ſentit ille aliquam differentiam ex parte obiecti motivi, & terminativi amoris, quem nunc habet, & quem habuit antè, vel non ſentit; ſi primum, ergo ex tali diverſitate colligere poteſt, quod gratiam non recuperavit, quam anteà habebat; ſi ſecundum; ergo uterque actus idem habet omninò obiectum motivum, ac terminativum.

217 Tertiò probatur, quia non repugnat actum naturalem ferri ad obiectum actus ſupernaturalis, & è contrà, quando enim aliquis mihi narrat Deum hypoſtaticè naturam humanam aſſumpſiſſe, vel Deum infundere nobis gratiam, quæ eſt quoddam accidens ſupernaturale nos reddens amicos Dei; vel Deum præparaſſe, & promiſiſſe ſui viſionem hominibus; jam naturaliter audio illas voces, & per conſequens naturaliter concipere poſſum totum illud obiectum, licet in ſe ſit ſupernaturale; & dum talem habeo abſtractivam cognitionem horum obiectorum ſupernaturalium, poteſt pariter voluntas in eadem obiecta ferri actu naturali, cum ſit inclinata ad appetendum, quod ei proponitur, ut bonum; Nec refert, quod ei proponatur ut bonum vires naturæ

naturæ ſuperans; hoc enim ad ſummum facit, quod illud appetere non poſſit appetitu efficaci, non autem inefficaci; & ſic de facto peccarunt Dæmones appetendo ſimilitudinem cum Deo, vel in natura; vel in beatitudine, aut alia divina perfectione; At hi actus omninò ſunt naturales, ergò verè poſſunt eſſe actus naturales tam intellectus, quàm voluntatis circà obiectum ſupernaturale, & circà rationem obiectivam ſupernaturalem, & ratio à priori eſt, quia nullum eſt obiectum adeò ſupernaturale, quod non poſſimus naturaliter audire, ſi nobis narretur, & per conſequens circà quod non poſſit intellectus, & voluntas aliquos exercere actus nam quicquid per intellectionem naturalem repræſentatur, & proponitur, tanquam perfectio amabilis, quantumvis proponatur, ut ſupernaturalis, ac vires naturæ ſuperans, videtur eſſe obiectum proportionatum ad aliquam volitionem naturalem, vel complacentiam; Imò taliter, ut inquit Averſa, quod hæc ipſa ſit ratio motiva ad appetendum, ſi nempè ea ipſa ratione inducatur quis ad aliquid appetendum, quia eſt bonum ſupernaturale, atque ideò ut majus bonum, magiſque æſtimandum ab eo apprehenditur; non ergò poteſt formaliter aſſignari obiectum, ut proprium actus ſupernaturalis, quod pariter à naturali non poſſit ſuo modo attingi. Nec valet dicere, eas apprehenſiones habere diverſa motiva, nam naturalis habet pro obiecto motivo teſtimonium hominis narrantis; altera verò teſtimonium ſolius Dei. Non valet; quia audientis apprehenſio aliud motivum habere non poteſt, quàm habeat propoſitio, quam percipit, ſeù audit; at in ea ſuppono dari tantum pro motivo, *id à Deo revelatum eſſe*: ergo id ſolùm tunc apprehendit audiens; Et parum refert, quod tali propoſitioni aſſentiatur, vel non, quia ad movendam voluntatem ſaltem inefficaciter ſufficit ſola obiecti apprehenſio ſine interventu iudicii, ut dictum eſt *diſp.* 7. de Anima *n.* 124.

218 Quartò ſpecialiter probatur de actu Fidei, de qua hìc diſputamus, quia fides acquiſita poteſt tendere in quodcunque obiectum motivum, & terminativum, in quod poteſt fides infuſa; ergò neceſſariò non diſtinguitur ab illa ex parte obiecti; conſequentia patet, probatur aſſumptum, quia fide acquiſita poteſt quis credere, Deum eſſe Trinum, & Unum, propter revelationem divinam, aut veracitatem Dei ſuppoſita revelatione; ſed revelatio divina, aut divina veracitas, ſuppoſita revelatione, eſt obiectum formale motivum fidei infuſæ; ergo poteſt fides acquiſita tendere in quodcunque obiectum motivum, & terminativum, in quod tendit infuſa; minor patet, probatur major, quia ſi quis Catholicus credens divina fide articulum Trinitatis peccaret contrà fidem, non credendo v.g. Verbi Incarnationem, jam ex peccato infidelitatis fidem infuſam amitteret, ſed adhuc poſſet quantum ad omnem experientiam propriam credere Trinitatis myſterium eodem modo, & ex eodem motivo, quo anteà credebat, & tamen illud non crederet, niſi fide humana; ergo fides acquiſita poteſt tendere in myſterium Trinitatis propter veracitatem, aut revelationem divinam; probatur minor ſubſumpti ſyllogiſmi, nam alioquin ex diverſitate, quam experiretur ex modo, quo jam illum articulum credit, & anteà credebat, poſſet proprio experimento cognoſcere, quod divinam fidem amiſit per negationem articuli Incarnationis; et ſi eam poſteà reciperet, illum articulum de novo credendo, poſſet per experientiam cognoſcere, quod eam haberet, quod nemo concedit.

219 Reſpondent, quod licet Catholicus ille anteà, & poſt crederet Trinitatis myſterium propter revelationem Dei, non tamen eodem modo, nam revelatio Dei poteſt dupliciter ſpectari; primò quatenus eſt credita fide divina; ſecundò quatenus eſt credita fide, vel opinione humana; priori modo eſt obiectum formale fidei, non poſteriori modo; itaque Catholicus ille anteà credidit articulum Trinitatis per revelationem Dei fide divina creditam, poſteà verò propter revelationem fide, vel opinione humana creditam. Sed licet hanc doctrinam admiſerimus ſuperius *n.* 199. tamen ad rem non facit; motiva enim, & rationes humanæ, ſicut ſunt conditio reſpectu Catholici, ac veluti præviæ diſpoſitiones, non verò intrant obiectum formale Fidei, ſic etiam ſunt conditio reſpectu Hæretici, nec intrant obiectum formale fidei, quod eſt ipſa divina revelatio, vel potius divina veracitas ſuppoſita revelatione. Tùm quia Hæreticus non ideò non elicit aſſenſum Fidei ſupernaturalem, quod circà obiectum formale Fidei ſit malè affectus, ſed quia circà motiva, & conditiones Fidei, per quas dirigitur pia affectio, eſt malè diſpoſitus; ut notavit Arriaga *diſp.* 14. *num.* 28. undè non vult Deus illi præſtare concurſum ad actum ſupernaturalem, & ſicut oportet ad ſalutem, donec prudenter moveatur; prudenter autem moveri provenit ex conditionibus, non autem ex ipſo obiecto formali Fidei, quod omnibus æquè obſcurum eſt. Denique ſemper urget argumentum, an Catholicus ille experiatur ſe eodem modo credere, & ob eandem rationem myſterium Trinitatis, poſtquam negavit myſterium Incarnationis, ac anteà credebat, vel alio modo; ſi primum, habetur intentum, quod anteà, & poſt credit ex eodem motivo; ſi ſecundum, ergò proprio experimento cognoſcet, quod divinam fidem amiſit per negationem articuli Incarnationis, quod nullus admitteret. Nec valet reſponſio Suarez *lib.* 2. *de Gratia cap.* 11. in fine, ſcilicet cùm in his actibus concurrant ſæpè motiva naturalia, & ſupernaturalia, non poſſe hominem ſatis clarè diſtinguere, quo motivo moveatur. Non, inquam, ſufficit, quia ut urget Arriaga *cit.* diſcernere, an actus dicat *Credo, quia revelatum eſt*, an *Credo, quia videre miracula* facillimè à docto attendente diſcerni poteſt; quando enim ſunt tam diverſa motiva, non poteſt quis inter ea facilè decipi; idem eſt in amore, quis enim non agnoſcet, an amet Deum, quia bonum ſupernaturale, an verò quia bonum naturale.

220 Quintò probatur ratione à priori ex Scoto deducta 3. *diſt.* 14. *qu.* 1. *ad* 2. ubi docet, quod etiamſi diſtinctio obiectorum ſemper concluderet diſtinctionem actuum, & potentiarum: non tamen unitas obiecti ſpecifica ſemper concludit unitatem actus, & potentiæ, quia diverſæ ſpecie potentiæ diverſis ſpecie actibus poſſunt circà idem obiectum verſari; nedùm materiale, ſed etiam formale, quod probat, quia idem obiectum eſt obiectum omnis intellectus beati, & etiam omnis voluntatis beatæ, nec tamen volitio eſt ejuſdem ſpeciei cùm intellectione: poſſunt enim iſti actus formaliter diſtingui, licet non habeant obiecta formalia diſtincta, & poſſunt etiam cauſaliter aliundè diſtingui, quàm ab obiectis, quia ab ipſis potentiis, tanquam à cauſis ſuis eſſentialibus; & ita datò, quod ab obiecto indiſtincto ſecundum ſpeciem haberent indiſtinctionem tamen ab alia cauſa partiali diſtinguerentur ſpecie: Neque Philoſ. inquit 2. de Anima, quod actus habent unitatem ab unitate obiecti, ſed diſtinctionem, exemplum adducit ad id declarandum Doctor de motu, & termino, quia diſtinctio termini motus concludit diſtinctionem in motu, prout motus eſt forma fluens, ſi illa forma ſit eiuſdem rationis cum forma terminante, ſed non oportet unitatem termini motus concludere unitatem motus, quia Ubi omnina idem poteſt acquiri diverſis motibus ſecundum ſpeciem, ut motu circulari, & motu recto, qui ſunt incomparabiles ſecundum Philoſophum 7. Phyſ. quam doctrinam tradidi ex profeſsò *diſp.* 2. *de Anima qu.* 4. ubi declaro, quomodo potentiæ ſpecificentur per actus, & actus per obiecta quoad unitatem, & diſtinctionem. Ex quo deducitur ratio à priori pro noſtra concluſione, nam licet actus ſpecificentur ab obiectis, non tamen tanquam à ſpecificativo adæquato, ſed ſolùm inadæquato; ſpecificantur enim etiam in ordine ad principia, imò magis ab iſtis, quam ab obiectis, actus ſiquidem quoad intrinſecum ſuum eſſe magis pendet à principio productivo, quam ab obiecto, nam ab hoc ſolum accipit extrinſecum ordinem, & habitudinem, ab illo verò intrinſecum eſſe. Ergo quoad ſuam ſpecificationem magis pendet a principio productivo, quam ab obiecto; quarè etiamſi obiectum ſit idem, ſi tamen principia ſint diverſa, actus erunt diverſi, per hoc ergò præciſe, quod actus ſupernaturalis petat fieri a principio ſupernaturali, intelligimus habere aliquod prædicatum intrinſecum, quod non haberet actus, qui non poteſt fieri a tali principio, quod quidem prædicatum ſufficiens eſt ad differentiam ſpecificam inducendam, vel eſſentialem, ſi actus fuerit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vel accidentalem, ſi fuerit ſupernaturalis tantum quoad modum, ut contingit in propoſito; Cum ergo habitus infuſus habeat ſe per modum potentiæ in ordine ad ſuos actus, nullum eſt inconveniens, quod poſſint ſpecie differre actus, qui fiunt a ſola natura, & illi qui fiunt ab habitu infuſo, licet aliundè idem obiectum, & motivum haberent: ſufficit enim in tali caſu ſpecifica principiorum diverſitas, ut etiam aliquo modo refundatur in actus ipſos, ſic enim paſſim dicimus, & omnes fatentur intellectum & viſum eandem rationem albedinis attingere poſſe, & ſolam hanc principiorum diſtinctionem ad diſtinctionem actuum ſufficere.

221 Reſpondet Vaſquez *part.* 1. *diſp.* 195. *c.* 3. & cum eo Turrian. *opuſc.* 13. *dub.* 3. eſſe diſcrimen, quia hic loquimur de actibus potentiæ unius, exempla verò allata ſunt diverſarum potentiarum, & aſſignant rationem, quia in potentiis diverſis eſt diverſus operandi modus ſecundum ſubſtantiam, ſecus eſt, quando eadem eſt potentia, & idem formale obiectum. Hæc tamen ſolutio nihil omninò ſatisfacit, quia etiam ab eadem potentia circà idem obiectum dari poſſunt actus naturales diverſi: ſic iudicium, & apprehenſio ex ſolo modo diſtinguuntur, cùm nihil judicetur, quod non ſit apprehenſum: ſic amor efficax, & inefficax reſpectu eiuſdem obiecti; ſic notitia intuitiva, & abſtractiva, quæ circà idem omninò obiectum verſantur, & ſpecificè differunt ex diverſo modo tendendi in illud, ſic demum ſcientia acquiſita, & infuſa circà idem motivum formale ſpecie diſcriminantur ex ſolo principio productivo diverſo, ergo pariter poterunt aſſenſus naturalis, & ſupernaturalis verſari circa eandem divinam auctoritatem, tanquam arci

circa motivum formale, ex diverſis principii productivis naturali, & ſupernaturali.

222 Reſpondet proindè aliter Amicus *diſp.* 10. *ſect.* 4. gratis concedendo ſpecificam actuum perfectionem non tantùm deſumi ex motivo formali, ſed etiam ex diverſo principio productivo, ut argumentum, & allata exempla probant; negat tamen adhuc circa idem obiectum motivum formale poſſe verſari actum naturalem, & ſupernaturalem, quando motivum formale excedit vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum attingibilitatis naturalem capacitatem potentiæ. Verùm ſic reſpondendo gratis fatetur Amicus oppoſitam ſententiam non benè fundari in eo philoſophico principio, quod in propoſito Adverſarii exaggarare ſolent, circà idem obiectum non poſſe eſſe duos actus ſpecie diverſos, quia actus ſpecificantur ab obiectis; ſed ſolùm in eo principio fundari, quod obiectum fidei ſit ſupernaturale & ſaltem quoad modum attingibilitatis excedens naturalem modum operandi potentiæ; quemadmodum ingenuè faſſus eſt Suarez c. 11. *cit.* n. 30. Sed quod etiam hoc aliud principium labile ſit pro oppoſita ſententia conſtabit mox art. ſeq. in ſolutione obiectorum; concludimus itaque quod licet dentur aliqui actus ſupernaturales, qui neceſſariò habent obiectum formale diſtinctum, ab obiecto omnis actus naturalis, ut eſt, verbi gratia, clara Dei viſio, quia certum eſt nullam creaturam poſſe Deum naturaliter in ſe intueri, aut per proprium conceptum; & ſicuti eſt in ſe intelligere, qui tamen, ut ſic, eſt obiectum viſionis beatificæ; aliqui tamen actus ſecundum modum tantùm ſupernaturales poſſunt habere idem obiectum formale cum aliquibus actibus naturalibus; quia licet actus ſpecificentur ab obiectis, non tamen tanquam à ſpecificativo adæquato, ſed ſolùm inadæquato, nam ſpecificantur etiam in ordine ad principia; Quomodo verò neque tertia ſententia illa media, quam nititur aſtruere Cardinalis de Lugo, dari ſcilicet poſſe de potentia abſoluta duos actus ſpecie diverſos naturalem, & ſupernaturalem circà idem omninò obiectum, non tamen dari de facto, nullum habeat fundamentum latè oſtendit Arriaga *diſp.* 14. *cit. ſect.* 5. & ſatis conſtat ex argumentis hactenus allatis, quæ deſummuntur ex his, quæ de facto dantur; undè probant non ſolùm divinitus, ſed etiam de facto, & regulariter dari poſſe actum naturalem, & ſupernaturalem circà idem omninò obiectum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Obiectionum Solutio.

223 IN Oppoſitum Primò obiiciunt præſertim Suarez lib. 2. de Gratia cap 11. nam obiectum ſupernaturale, eo ipſo quod eſt ſupernaturale, actum naturalem excedit, ut ei improportionatum; ſed obiectum fidei eſt ſupernaturale; ergo actu naturali attingi non poteſt; major probatur, quia non poteſt potentia naturalis propriis viribus verſari circà obiectum, ſaltem quoad modum attingibilitatis excedens naturalem modum operandi potentiæ; & ſi tale obiectum actu naturali attingi poſſet, jam non eſſet obiectum ſupernaturale, hoc enim non poteſt actu naturali attingi. Confirmatur, quia virtus ſupernaturalis ſub ratione naturalis; ergo eſt diverſitas ex parte obiecti formalis inter utramque. Denique ſequeretur ſupernaturales virtutes eſſe omninò ſuperfluas; ſi enim naturales poſſent in eadem obiecta tendere, in quæ illæ tendunt, plane ſupernaturales ad nihil deſervirent.

224 Reſpondeo, quod eſtò Deus, ut talis, ſit obiectum ſupernaturale, primò reſpectu conſecutionis, quia non poſſumus eo frui naturæ viribus, eumque hac ratione, aut ipſius dona conſequi, ac etiam reſpectu cognitionis, quatenus ſine ulla revelatione non poteſt, ut talis cognoſci; ſuppoſita tamen revelatione poſſumus viribus naturæ alicui aſſentiri id mihi narranti, eumque ut talem amare, nam reſpectu hujus amoris non eſt obiectum ſupernaturale, ſeu rationem talis obiecti non exercet; Sic pariter eſtò claram Dei viſionem viribus naturæ conſequi non poſſimus, hoc ipſo tamen quod fide aliqua credimus eam multis à Deo ſupernaturali ratione conferri, naturaliter deſiderare poſſumus, ut eam nobis ea ratione conferat, quia reſpectu talis amoris non eſt obiectum ſupernaturale in eſſe exercito, ſed tantùm veluti in eſſe ſignato; Undè ſupernaturalitas actus propriè non attenditur ex parte obiecti, in quod tendit, nam hoc etiam actu interdum attingi poteſt, ſed potius attenditur ex parte ſubiecti, quando nimirum eſt ſuprà illius naturam, itaut propriis viribus cum ſolo generali Dei concurſu illius attingere nequit, & ſic in propoſito fidei ſupernaturalitas non tam ex motivo ſupernaturali deſumenda eſt, quam ex proportione cum gratia, & viſione ſecundum ſubſtantiam ſupernaturali, ad cujus conſecutionem fides ordinatur, at etiam ex modo tendendi certò, & infallibiliter in tale obiectum, qui certitudinis gradus in actu naturali fidei acquiſitæ reperiri non poteſt, ut dicemus nu. 227. ſed de hoc argumento fuſius infrà *n.* 229.

Ad Confirmationem, quando dicitur virtus naturalis obiectum reſpicere ſub ratione naturalis, & ſupernaturalis ſub ratione ſupernaturalis, non ità intelligendum eſt, quaſi diverſa ratio, & formalitas ſit in obiecto, una terminans actum naturalem, & altera ſupernaturalem; ſed in eo ſenſu, quod dùm eadem ratio obiectiva terminat actum naturalem, exercet munus obiecti naturalis, dùm verò terminat actum ſupernaturalem, exercet munus obiecti ſupernaturalis; quod declarari poteſt exemplo ipſius animæ, quæ ſecundum facultatem naturalem dicitur elicere actum naturalem, & ſecundum potentiam obedientialem actum ſupernaturalem, cum tamen certum ſit ab eadem ipſa animæ facultate utrumque actum exire, quæ dum elicit actum naturalem, munus potentiæ naturalis exercet, dùm verò elicit ſupernaturalem, munus potentiæ obedientialis exercet; Quod quidem exemplum in rem præſentem oppoſitè cadit cùm hoc diſcrimine ſolo, quod ex parte potentiæ, ut eliciat actum ſupernaturalem, requiritur elevatio per ſpeciale auxilium; ex parte verò obiecti, ut actum terminet ſupernaturalem, nulla elevatio requiritur, non enim elevatur obiectum, ut attingatur tali actu; Quando itaque obiectum ſupernaturale actu ſupernaturali attingitur, tunc habet rationem obiecti ſupernaturalis, tàm in eſſe ſignato, quàm in eſſe exercito quando verò attingitur actu naturali, tunc habet rationem obiecti ſupernaturalis in eſſe ſignato duntaxat, non autem in eſſe exercito, quia tunc non exercet munus obiecti ſupernaturalis, ſed naturalis; quod eſt dicere obiectum ſupernaturale attingi poſſe actu naturali, ut ſupernaturale ſpecificativè, non vero reduplicativè, quia ſic non attingitur, niſi per actum ſupernaturalem vires naturæ excedentem, vel quo ad ſubſtantiam, vel ſaltem quoad modum. 225

Ad ultimum, nego ſequelam cum ejus probatione nam ſupernaturales virtutes deſerviunt, non ut præcisè potentia poſſit attingere illa obiecta, ſed ut attingat illa perfectioribus actibus, hoc eſt ſupernaturalibus, qui ex natura ſua ſunt longè perfectiores, quam naturales, quia proportionem habent cum fine ſupernaturali, ad quem ordinantur, quàm proportionem non habent actus naturales, actus enim ſupernaturalis valorem habet ad vitam æternam, & convenit homini, ut elevato ad ſtatum ſupernaturalem; non ſic actus naturalis etiamſi in idem omninò obiectum tendat, quia nullus actus naturalis meretur quicquam de vita æterna, cùm ſit inferioris ordinis cum eo præmio. Ex quo patet falſum eſſe, quod ſubdit Suarez *loc. cit.* multum accedere ad errorem Pelagii, quod facta revelatione poſſit homo credere viribus ſuis; licet enim revelatione ſuppoſita poſſit homo credere viribus ſuis, ac etiam ob idem omninò motivum, non tamen, *ut oportet* hoc eſt, ità firmiter, & perfectè, ut ad ſalutem exigitur, qualem paſſim docent Concilia, & Patres eſſe debere actum credendi fidei infuſæ, ut conſtat ex dictis *n.* 212. undè actus hujuſmodi ſupernaturales ad finem ſupernaturalem ordinari ex ſe & ex ſua intrinſeca perfectione, & nobiliori modo attingendi obiectum ſunt naturæ indebiti, ſeù ſuprà exigentiam naturæ; ideoque neceſſarii ſunt habitus ſupernaturales, per quos efficiantur. 226

Secundò arguit Suarez, & poteſt eſſe impugnatio præcedentis ſolutionis, ſi quis poteſt attingere actu naturali veracitatem Dei, ille actus erit tam certus, quàm ſupernaturalis; ergo habebit omnem certitudinem requiſitam ad ſalutem, diſtinctio enim in entitate, quod ſit naturalis, vel ſpiritualis in ordine ad mores parùm facit. 227

Reſpondet Arriaga *cit ſect.* 2. poſſe procul dubio Philoſophorum dicere actu naturali *Deus eſt verax*, qui actus erit tam certus ex parte obiecti, quam actus fidei, & eodem modo diſcurrit de hæretico, quia quomodocumque ad hoc inducatur, dicit, *Verbum incarnatum eſt, quia Deus dixit, & non poteſt errare*, quia actus ex parte obiecti tam certus eſt, quam noſter, quarè abſolutè reſpondet ſupernaturalitatem fidei, non requiri propter certitudinem, ſed propter proportionem cum gratia, & viſione beata, quæ ſunt ſupernaturalia, & idem ſuo modo dicendum de aliis virtutibus. Verùm jam ſuprà diximus numer. 166. & 196. fidem infuſam requiri ob infallibilitatem aſſenſus, ejuſque maiorem certitudinem, & hanc eſſe illam perfectionem ſupernaturalem, ſecundum quam ſuperat vires naturæ & à principio ſupernaturali produci petit, quam indicarunt Patres, & Concilia per illam particulam, *ut opporteet*, quarè cùm Philoſophus, vel Hæreticus actu naturali attingit veracitatem Dei, & dicit, Verbum eſſe incarnatum, quia Deus dixit, & non poteſt errare; negandum eſt actum illum eſſe ità certum, ac ſit actus ſupernaturalis fidei infuſæ; quia huic actui nullo modo poteſt ſubeſſe falſum, benè tamen illi actui naturali, vel ſaltem non eſt tanta repugnantia, ut huic poſſit ſubeſſe falſum, ut illi; Quarè ſupernaturalitas fidei non tantùm requiritur propter proportionem cum gratia, & viſione beata ad

ad cuius conſecutionem fides ordinatur, ut aiebat Arriaga, ſed etiam propter certitudinem. Sed inſtat Suarez, actum illum naturalem futurum eſſe æquè certum, ac ſupernaturalem, quia ſuppoſita revelatione iam actus ille ſoli Deo innititur, tanquam teſti, cui nequit ſubeſſe falſum, & ſoli Deo tam Philoſophus ille, quam Hæreticus ſuum ſubiicit intellectu. Negatur aſſumpum, ad probationem iam dictum eſt *n.* 199. revelationem Dei poſſe dupliciter ſpectari, primò quatenus eſt credita fide divina, ſecundò quatenus eſt credita fide, vel opinione humana: Philoſophus ille, vel Hæreticus in caſu credit actu illo naturali myſterium Incarnationis ob Dei revelationem fide tantùm, vel opinione humana creditam, cui poteſt ſubeſſe falſum, non vero fide divina, ac ideò actus ille nequit eſſe ità certus, ſicut actus, ſupernaturalis fidei infuſæ.

227 Tertiò arguunt, virtutes, & habitus ſpecificantur ab actibus, & hi ab obiectis, ergo virtutes diverſæ ſpecie debent habere obiecta diverſæ ſpeciei, ſed fides infuſa, & acquiſita ſunt diverſæ ſpeciei, ergo debent habere obiecta diverſæ ſpeciei, & conſequenter debet fides infuſa habere aliquod obiectum, in quod non poſſit tendere fides acquiſita. Confirm. quia Scotus ipſe 3. *diſt.* 23. §. *ad quæſtionem & quol.* 14. *& quol.* 17. fidem infuſam ab acquiſita diſtinguit ex parte motivi, & obiecti formalis, eò quod fides infuſa nititur immediatè teſtimonio Dei, cui nequit ſubeſſe falſum; fides vero acquiſita teſtimonio creato, cui poteſt ſubeſſe falſum, ut dictum eſt *n.* 166.

Reſpondeo ex doctrina præmiſſa *n.* 208. quod licet virtutes omnes ordinis naturalis, quæ ſunt diverſæ ſpeciei, habeant diverſa obiecta, ac etiam virtutes omnes ordinis ſupernaturalis; hoc tamen non verificatur de virtutibus diverſi ordinis, & ideò opus non eſt, quod omnis virtus naturalis ordinis, quamvis ſit diſtinctæ ſpeciei ab omni virtute ſupernaturalis ordinis, debeat habere obiectum diſtinctum ab obiecto cuiuſcumque virtutis ſupernaturalis ordinis; quia ut dicebamus loc. cit. non ſunt habitus diſparati, ſed ſubordinati; habitui enim ſupernaturali ſubordinatur habitus naturalis, tanquam propriæ regulæ, & perfectivo extrinſeco, & voluntas utitur habitu ſupernaturali, ut completivo extrinſeco habitus naturalis; Quarè ſicut propter hanc ſubordinationem dicebamus ibi, quod non oportet, quod ſi habitus differant ſpecie, etiam ſpecie differant actus, in quos inclinant; ità in propoſito dicimus ob eandem rationem opus non eſſe, quod habeant obiecta ſpecie diverſa; Quod eò vel maximè aſſerendum eſt, quia adhuc ex alio capite, quàm per ordinem ad obiecta, virtutes diverſi ordinis diſtinctionem ſpecificam habere poſſint, nempè ex eò ipſo, quod eſſent diverſi ordinis, & quod naturales darent facilitatem, & poſſint per actus acquiri; ſupernaturales verò non darent facilitatem, nec poſſent per actus comparari; & ideò neceſſe non eſt ad obiecta recurrere ad colligendam earum ſpecificam diſtinctionem, quia quamvis in obiectis convenirent, adhuc ex aliis capitibus earum ſpecifica diſtinctio ſufficientiſſime colligi poteſt, quemadmodum ſuperius nu. 210. dicebamus pariter de diſtinctione actuũ ſpecifica, quod non ſemper ex obiectis ſit colligenda.

228 Ad Confirm. eſtò Scotus loc. cit. fidẽ infuſam ab acquiſita ità diſtinguat, nequaquã tamen negat, quin etiam actus fidei acquiſitæ niti poſſit teſtimonio divino, ac ejus veracitatem attingere, quia Deũ eſſe primã veritatem, quædã veritas naturalis eſt, Deũ itẽ ſi quid teſtificetur, dignum eſſe fide certa, quia mentiri nõ poteſt, obiectum eſt naturaliter notum, ut etiam Doctor docet 3. *diſt.* 23. lit. C. quare hoc motivum non eſt ſupernaturale, niſi ratione propoſitionis, & applicationis, quæ planè ſupernaturalis eſt, quia non eſt debita capacitati naturali hominis, ſed ex extrinſeca Dei ordinatione gratis conceſſa; quarè ſuppoſita ſemel talis motivi propoſitione, vel applicatione, poteſt fides acquiſita actu ſuo naturali illud attingere, adhuc tamen actus ille credendi ſalutaris non eſſet, & ad ſalutem ſufficiens, quia licet teſtimonio Dei niteretur, ac divinæ revelationi, non tamen quatenus eſt credita fide divina, cui nequit ſubeſſe falſum, ſed tantùm quatenus credita fide, vel opinione humana, cui poteſt ſubeſſe falſum, undè actus ille non eſſet ità certus, ſicut actus ſupernaturalis fidei infuſæ, nec eſſet ut oportet ad ſalutem, ſicut Concilia loquuntur.

229 Dices, ſi homo fide acquiſita naturali aſſentiri poteſt revelatis ex eodem motivo formali, ex quo iiſdem aſſentitur fide infuſa ſupernaturali, ergo obiectum fidei infuſæ non erit ſupernaturale, probatur ſequela, quia in præſenti illud maximè dicitur ſupernaturale, quod ſuperat naturales vires liberi arbitrii, ſic enim dicitur habitus infuſus ſupernaturali, quia per actus liberi arbitrii acquiri non poteſt, & actus ſupernaturalis, quia per vires arbitrii fieri non poteſt, ergo ſimiliter obiectum erit ſupernaturale, quod ut tale eſt, viribus naturalibus attingi non poteſt, atque ità è contrario motivum formale, quod viribus naturæ attingi poteſt, ſupernaturale non eſt, ſed naturale, ità Suarez *loc. cit. n.* 13.

Reſpondeo, in primis in hoc argumento circulum committi manifeſtum, ut notavit Arriaga, probatur enim veracitatem Dei, & revelationem eſſe ſupernaturalem, quia non poteſt actu naturali attingi, & rurſus non poſſe actu naturali attingi, quia eſt obiectum ſupernaturale; Deindè dico, obiectum fidei infuſæ, nempè Deum, quatenus in loquendo veracem, in uno ſenſu dici poſsè naturale obiectum, & in alio ſupernaturale; naturale quidem, quia Deum eſsè primam veritatem, & ſi quid teſtificetur, certa fide dignum, eſt quædam veritas naturalis, & cuilibet naturaliter inſerta; ſupernaturale verò, quia applicatio, vel propoſitio talis motivi eſt ſupernaturalis, ideſt non debita capacitati naturali hominis, ſed ex extrinſeca Dei ordinatione gratis conceſsa; dicitur etiam ſupernaturale quo ad diverſum modum attingibilitatis, quia licet utroq; actu ſcilicet naturali, & ſupernaturali attingi poſſit, non tamen eodem modo; perfectius enim, & certius attingitur idem obiectum, nempè divina veracitas per actum ſupernaturalem fidei infuſæ, quam per naturalem fidei acquiſitæ, ut explicatum eſt *n.* 226. & 227. ſatis autem conſtat duos actus eiuſdem potentiæ circa idem omninò formale obiectum poſſe ſpecie diſtingui ex ſolo diverſo modo tendendi in illud, & illud attingendi, ut variis exemplis deductum eſt *n.* 121. Hæc igitur maior perfectio, qua actus ſupernaturalis attingit obiectum fidei, & ſufficit ad illum ſpecie diſtinguendum ab actu naturali, & ad denominandum tale obiectum ſupernaturale, quia quoad talem modum attingibilitatis excedit naturalem capacitatem potentiæ, nec poteſt tali modo attingi ſine ſpeciali Dei auxilio, & hæc quidem maior perfectio non conſiſtit præcisè in perfectione intenſionis, quia etiam naturalis actus poteſt eſſe tam intenſus circà idem obiectum; ſed conſiſtit in maiori gradu certitudinis, qua illud obiectum attingitur per actum ſupernaturalem, & in maiori proportione, quam habet talis actus cum gratia, & viſione beata, ad cuius conſecutionem fides ordinatur, ut loc. cit. explicatum eſt, quam certitudinem, & proportionem non habet actus naturalis. Et hoc eſt, quod alii dicunt ſub aliis verbis, actum naturalem, & ſupernaturalem circà idem obiectum diſtingui ex diverſis rationibus formalibus; ſub quibus illud attingunt, illas verò rationes non eſſe diſtincta motiva, ſed eiſe diſtinctas attingibilitates eiuſdem motivi; nam in fide, veritas Dei in dicendo, ut attingibilis ſupriori, & excellenti modo eſt obiectum formale aſſenſus fidei ſupernaturalis, ut attingibilis verò inferiori quodam, & imperfectiori modo eſt ratio obiectiva ſub qua fidei acquiſitæ.

Quartò arguunt, quia non videtur poſſibilis ſpecifica diſtinctio inter duos actus, qui verſantur circà idem obiectum formale, nam prædicata actuum ex obiecto ſumuntur iuxtà Ariſtot. axioma, actus ex obiectis ſpecificari, Nec reſpondere valet poſſe actus illos diſtingui ex parte principii, quod principium unius ſit naturale, & principium alterius ſit ſupernaturale. Non valet, quia minimè opus eſt fingere principium ſupernaturale, ſi obiectum formale illud non requirit, eo enim ipſo, quod actus ille petat fieri à principio ſupernaturali, iam ſupponitur obiectum eſſe ſupernaturale; alioquin ſi obiectum eſſet naturale, non peteret principium ſupernaturale ad illud cognoſcendum, vel amandum. 230

Reſpondeo, imbecillitatem huius argumenti ſatis patere ex quinta ratione adducta art. præced. pro noſtra ſententia *n.* 220. ubi conſtat ſolutionem in argumento allatam, quod actus illi poſſunt adhuc ſufficienter ex ſuis principiis diſtingui, eſſe ſufficientem, ſi rectè intelligatur; Replica verò illa manifeſtas habet inſtantias, nam cognitio, qua Angelus cognoſcit Leonem petit per ſuam entitatem fieri ab intellectu Angelico, licet obiectum de ſe poſſet benè cognoſci ab intellectu humano; ſic igitur in propoſito; licet illud idem obiectum poſſet cognoſci à principio naturali, cognitio tamen, qua cognoſcitur à principio ſupernaturali petit omninò principium ſupernaturale; & ratio eſt, quia per cognitionem à principio ſupernaturali procedentem attingitur longè perfectiori modo, quo non attingitur per cognitionem à principio ſolo naturali procedentem, undè talis cognitio, non ratione obiecti præcisè petit fieri à principio ſupernaturali, ſed ratione modi præſertim, quo à tali cognitione attingitur, ut explicatum eſt in ſolutione præcedenti.

Quintò arguunt ab inconvenienti; Primò quia ſequeretur actus ſupernaturales, quos de facto habemus non eſſe ſupernaturales, ex ſuo motivo, vel obiecto, ſiquidẽ ad idẽ motivũ potuiſſet terminari actus naturalis; conſequens autẽ eſt abſurdum, quia deſtrueretur fundamentum neceſſitatis gratiæ ſupernaturali; & omnes Theologi cõcedunt actũ ſupernaturalẽ verſari circà obiectum ſupernaturale. Deindè, quia ſi circa obiectũ fidei eſſe poſſet actus naturalis, ſequitur nõ eſſe in hominis poteſtate facere actũ ſupernaturalem, quia fortè eliceret naturalẽ, & contingere poſſet, ut ex duobus equaliter conantibus unus eliceret naturalem, & alter ſupernaturalem, quæ determinatio ad hunc vel illũ actũ eſſet à ſolo Deo, quod eſt valdè abſurdum, ut latè proſequitur Suarez *n.* 18. Demũ, quia ex oppoſita ſẽtẽtia ſequeretur circa Deũ 231 clarè

clarè viſum poſſe pariter diſtingui viſionem naturalem,& ſupernaturalem,quod eſt abſurdum,quia viſio clara Dei nulli creaturæ eſt debita ex ſolis naturæ principiis,ſed eſt ſuprà totum naturę debitum, utpotè quæ ſupernaturalis eſt ſecundum ſubſtantiam, ut latè Torres *q.* 1.*diſp.*8.*dub.*8.

232 Reſpondeo,negando conſequentiam,gratis namque concedimus,actus ſupernaturales verſari circà motiuum ſupernaturale, modo iam explicato *n.*229. hoc eſt,quod de facto exigit auxilium ſupernaturale, ut attingatur eo modo, quo neceſſarium eſt ad ſalutem;non tamen ità ſupernaturale,ut non poſſit modo inferiori,& imperfectiori terminare quoque actum naturalem;Neque ex hoc deſtruitur neceſſitas gratiæ ſupernaturalis ad hos actus, quia hęc neceſſitas non probatur ex motivo, vel obiecto, ſed ex nobili, & excellenti modo attingendi tale obiectum, & ex proportione,quam actus huiuſmodi habere debent cum beatitudine ſupernaturali, ad quam fides ordinatur, iuxtà quas conditiones ſunt indebiti naturę,ſeù ſuprà naturæ exigentiam, ideòque neceſſarii ſunt habitus ſupernaturales, per quos efficiantur. Ad 2. poſſet argumentum contra Suarez retorqueri in eodem *n.* 11. in fine,concedentem, in Fide,eo quod concurrant motiva naturalia,& ſupernaturalia, facilè hominem æquivocari, nec ſufficienter diſcernere, an operetur ex naturali, vel ſupernaturali motivo,abſolutè ergò dicendū,eſt vel ſemper quandocunque homo,circa obiectum illud fidei eſt ſufficienter diſpoſitus elicere ſimul utrumque actum naturalem, & ſupernaturalem, eo quod Deus elevaverit hominem ad ordinem gratiæ, quæ elevatio actus naturales non impedit, ut inquit Arriaga; Vel eſſe eundem actum in re,& quoad Subſtantiam, in quam inclinat fides infuſa,& acquiſita,itaut actus naturalis, & ſupernaturalis, non differant ſpecie diſparata, ſed potius ſubalterna, & ſubordinata, quatenus actus ſecundum bonitatem naturalem, & moralem ſubordinatur, ut proprium potentiale ad recipiendam ulteriorem perfectionem,& ſuperioris ordinis, qualis eſt perfectio ſupernaturalis, & meritoria, ut declaratum eſt *qu.*6.*num.*192. ex Scoto quol. 17. *art.* 3.Ad 3. negatur ſequela, quia viſio eſt actus ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, & non tantùm quoad modum, ut ſunt actus viæ ſalutares, ſiquidem eſt ſpecialis ratio, qua probatur Deum à nulla creatura poſſe naturaliter videri unde argumentum potius urget, qui nobiſcum in hac concluſione conveniunt, & adhuc volunt, etiam actus viæ ſalutares eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturales; Præterquam quod argumento malè aſſumitur ſequi, circa Deum clarè viſum poſſe pariter diſtingui viſionem naturalem, & ſupernaturalem; etenim ibi iam includitur ipſa viſio, quæ non ſe habet pro obiecto, undè potius dici deberet, ſequi poſſe eſſe duas viſiones Dei, unam naturalem alteram ſupernaturalem, ut Advertit Arriaga *loc.cit.*

233 Sextò tandem arguunt ex Scripturis,& Conciliis,nam Arauſicanum 2.*can.*5. *&* 25. damnat eos, qui dicunt fidem, qua in Deum credimus, eſſe naturalem, quod confirmat teſtimonio Apoſt.ad Philip.1.*Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm, ut in eum credatis* &c. unde iuxtà Concilium idem eſt credere, ut ad ſalutem oportet,& credere in Deum,hoc eſt propter teſtimonium Dei; Quod etiam confirmant ex verbis *Trid.ſeſſ.6 cap.6.*docentis hominem diſponi ad iuſtificationem,dum liberè movetur in Deum credens vera eſſe,quę ab ipſo dicta ſunt; ſentit ergò repugnare,myſteria fidei credere propter teſtimonium Dei, & illa actu naturali credere. Ex quo etiam rationem ad idem probandum deducit Amicus, quia intellectus noſter ex ſuo connaturali intelligendi modo aſſenſum non præſtat propter ea, quæ ſibi ſunt obſcura,ſed propter ea,quæ ſunt clara, & manifeſta, cùm naturalis eius cognoſcendi modus ſit ex notis, & manifeſtis aſſenſum præbere ignotis, & obſcuris; nequit igitur myſteriis fidei ſine ſpeciali auxilio aſſenſum prębere propter ſolam Dei auctoritatem,ut obſcurè ſibi applicatam, ſed potius propter teſtimonia, & rationes humanas eandem auctoritatem manifeſtè applicantes.

234 Reſpondeo ſatis conſtare ex dictis *qu. præced.* quomodo hęc Conciliorum doctrina ſit intelligenda, quam ibi adhibuimus *n.*196. ad probandum actum fidei infuſæ eſſe ſupernaturalem tantùm quoad modum, non verò quoad Subſtantiam; non enim ſimpliciter, & abſolutè negant, hominem poſſe naturaliter credere vera eſſe,quæ à Deo dicta ſunt,nam actu naturali poteſt Philoſophus credere Deum eſſe veracem in his, quæ dicit, explicatis terminis *Deus,& eius veracitas*,ut dictum eſt *n.* 228.ſed negant poſſe credere, ut ad ſalutem oportet, quam particulam addere opus non fuiſſet, ſi nullo modo naturaliter id credi poſſet, & ex eodem motivo; & dùm ſignificat Concil. Arauſicanum, idem eſſe credere, ut oportet, ac credere in Deum, hoc eſt, propter teſtimonium Dei, & revelationem eius fide divina creditam, non autem fide vel opinione humana,cui poteſt ſubeſſe falſum; eo enim modo credendo propter Dei teſtimonium, creditur firmiter, & infallibiliter, ſicut oportet ad ſalutem, ut dictum eſt *loc. cit.* quæ firmitas,& certitudo in actu naturali reperiri non poteſt; Ad rationem concedo, non poſſe hominem ſine ſpeciali Dei auxilio myſteriis fidei præbere aſſenſum propter ſolā Dei auctoritatē,ut obſcurè ſibi applicatam, eo firmitatis,& certitudinis gradu,qui requiritur ad ſalutem,& ut oportet,ut iuſtificationis gratiā conſequatur, ut Concilia loquuntur;nego tamen ſine ſpeciali auxilio illa eadem myſteria credere non poſſe,ac etiam ex eodem motivo,ideſt, propter auctoritatem Dei ſibi obſcurè applicatam, inferiori quodam, & imperfectiori modo,qui ad ſalutem ſufficiens non eſt, ut explicatum eſt *nu.*229. alias quaſdam auctoritates ex Scriptura adducit Suarez ad hoc idem probandum, quæ nihil prorſus probant, ut videri poteſt apud Arriagam *diſp.*14.*cit.ſect.*1.ab initio.

QUÆSTIO OCTAVA.

An omnis fidei aſſenſus neceſſariò à voluntate dependeat.

SUppono ex Philoſophia voluntatem ab intellectu dependere 235
quoad propoſitionem obiecti, intellectus enim eſt,obiectum voluntati proponere, quia voluntas non fertur in incognitum;è contrà verò intellectum à voluntate pendere quoad applicationem virtutis ad eliciendum, vel non eliciendum, vel oppoſitum actum eliciendum;voluntatis enim eſt intellectum applicare ad exercitium actus,nimirum vel ad unum, eundemque actum eliciendum, aut non eliciendū, quæ dicitur applicatio quoad exercitium;vel ad eliciendum hunc actum,aut oppoſitum, quæ dicitur applicatio quoad ſpecificationem; Difficultas ergo eſt, an intellectus in aſſenſu fidei prębendo ex imperio voluntatis dependeat illum applicantis, non ſolùm ad credendum, vel non credendum, ſed etiam ad credendum, vel diſcredendum.

In qua controverſia tres ſolent recenſeri ſententiæ, duę extremæ, & tertia media; Prima eſt quorundam Nominalium abſolutè negantium,aſſenſum fidei ullo modo pendere à voluntatis imperio, quia intellectus eſt potentia neceſſaria reſpectu ſui obiecti, vel ergò proponuntur motiva ſufficientia ad fidem, vel non; ſi primum,iam intellectus neceſſariò operabitur ſine voluntatis imperio,nam obiectum fidei ſufficienter propoſitum per ſeipſum movebit intellectum ad aſſenſum ſui abſque imperio voluntatis, cùm quodlibet obiectum ſufficienter applicatum de ſe aptum ſit movere potentiam, quam reſpicit, ſicut oculus neceſſariò videt colorem propoſitum. Si verò obiectum fidei non eſt ſufficienter propoſitum,nec adſint motiva ſufficientia,non poterit intellectus credere,quamvis voluntas imperet,cùm nequeat imperium defectum obiecti ſupplere, quod ex parte potentiæ prærequiritur, ut cauſa formalis obiectiva; quam ſententiam ſecuti ſunt nonnulli Recentiores apud Turrianum *diſp.*29.*dub.*1. Secunda ſententia extrema affirmat, omnem aſſenſum fidei pendere ex imperio voluntatis, non ſolùm quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem actus, & quidem poſitivo,quo nimirum imperet poſitivè intellectui,ut aſſentiatur myſteriis fidei, quia aſſenſus fidei ità eſt liber, & voluntarius, ut ſit omninò in poteſtate credentis, ut paſſim Scripturæ,& Concilia docent,quæ eſt communis Thomiſtarum, & Recentiorum. Tertia tandem ſententia media docet,non ſemper opus eſſe,ut voluntas poſitivè moveat intellectū ad credendum, ſed ſufficere,quod voluntas nō contraicat, quia ad hoc,ut aſſenſus fidei dicatur voluntarius, neceſſe non eſt, præcedere poſitivam aliquam voluntatis motionem, qua intellectum determinet ad aſſenſum fidei, ſed ſufficere voluntatem non contradicere;ità Scotiſtæ quidam putantes eſſe Scoti opinionem *3.diſt.*25.*quæſt.*2.ubi hanc mediā aſtruere videtur,ſed quæ fuerit mens eius, ſtatim patebit.

ARTICULUS PRIMUS.

Reſolutio Quæſtionis.

PRimò dicendum eſt, ad aſſenſum fidei theologicæ neceſſa- 236
riò prærequiri motionem voluntatis, qua intellectus ad aſſenſum determinetur; Hæc eſt communis, quam expreſsè tenet Doctor 3.*diſt.*25.*quæſt.* 1. in fine, ubi dicit, quod credibili ſufficienter præſentato, intellectus non neceſſariò credit, quia proponens credibile non demonſtrat, itaut cogat intellectum ad aſſentiendum, & ideò non credit, niſi volens; ex quo deducit, voluntatem habere imperium ſuper actum credendi, quatenus poteſt impedire intellectum ne exeat in actum, licet non ſemper habeat imperium, ſuper oppoſitum actum, hoc eſt, imperare non poſſit, ut intellectus diſſentiat credibili ſufficienter propoſito, ut mox dicemus. Probatur ex Scriptura, quia ad Rom. 1. & Actor. 6. credentes dicuntur obedire fidei, obedire autem expreſsè actum voluntatis ſignificat; item 2. Cor. 10. fideles dicuntur intellectum redigere in captivitatem in obſequium Chriſti,quibus verbis ſignificatur illum à voluntate quaſi ca-

captivum trahi in aſſenſum fidei, & ad Rom. 10. *corde creditur ad iuſtitiam*, cor autem actum voluntatis involuit; undè Aug. tract.26. in Io. ait, *multa poteſt facere homo non volens, credere autem non poteſt, niſi volens*. Idem colligitur ex Concil. Arauſ. *cap.*5. ubi docet, *affectum credendi eſſe initium fidei, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium*, & ex Trid. *ſeſſ.6. cap. 6.* ubi docet, quod peccatores, *diſponuntur ad iuſtitiam, dùm excitati divina gratia fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ revelata ſunt*; ergò ſupponunt aſſenſum fidei eſſe liberum; non poteſt autem eſſe liber, niſi interveniat actus voluntatis, à qua formaliter omnis libertas provenit, cùm nequeat eſſe liber ex ipſa potentia intellectiva, quæ neceſſaria eſt.

237 Deindè probatur ratione,quia obiectum obſcurè propoſitum, quale eſt obiectum fidei, nimirum divinum teſtimonium non viſum, non eſt ſufficiens ad determinandum intellectum de ſe indifferentem; quia cùm veritatem occultet, nequit illum convincere, & ad ſe trahere, qui tantùm ex ſe trahi natus eſt à veritate viſa; At neque ex alia parte poteſt intellectus ſeipſum determinare, cùm non ſit potentia libera; ergo eget extrinſeco voluntatis imperio illum determinantis ad credendum, quod non videt; & hæc eſt ratio Scoti *loc. cit.* dùm inquit, quod credibili ſufficienter præſentato intellectus non manet ad credendum determinatus, quia proponens credibile non demonſtrat, itaut cogat intellectum ad credendum, quarè concludit, quod non credit, niſi volens, quod eſt dicere, ex voluntatis imperio. Dices, intellectum moveri ad aſſenſum à motivis propoſitis, quæ credibilitatem articulorum evidenter oſtendunt? ergo non eſt opus alia determinatione voluntatis, quia ea motiva ſufficienter convincunt intellectum ad credendum. Reſpondeo, à motivis determinari intellectum, non ad aſſenſum circà veritatem propoſitam, ſed ad practicè judicandum illud, quod proponitur poſſe, ac debere evidenter credi, quo tamen facto remaneat in differens ad eliciendum aſſenſum, ad quem requiritur prædicta voluntatis motio, ſicut quando proponuntur duæ opiniones contrariæ quarum ſingulæ plauſibilia habent argumenta, & magni nominis Auctores; tunc enim intellectus propter hujuſmodi motiva cognoſcit evidenter utramque opinionem eſſe probabilem, & credibilem, & adhuc tamen ex eis determinatè judicare non poteſt, hanc eſſe veram, & illam falſam, ſed quaſi ſuſpenſus hæret, quia interim pro nulla illarum convincentem habet demonſtrationem; ex quo ſoluta manet ratio pro prima opinione adducta *n.*135.

238 Confirmatur, ac magis explicatur prædicta Scoti ratio, quia ut præſertim Coninch. advertit *diſp.* 13. *dub.* 4. obiectum aliquod reſpectu noſtri intellectus tripliciter ſe poteſt habere; Primò itaut propter evidentem omninò veritatem ipſum penitus convincat, & ad aſſentiendum cogat, ac neceſſitet. Secundò itaut nulla probabilis ratio appareat movens illum ad aſſentiendum, in quo caſu nequit ei aſſentiri, quia obiectum intellectus eſt verum, ac proindè niſi ſit ratio, & medium, per quod appareat verum, nequit elicere aſſenſum, quia operari non poteſt, niſi circà ſuum obiectū, ſicut voluntas non poteſt amare,quod ei non obiicitur, ut bonum. Tertio,medio quodam modo, itaut appareat quidem ratio aliqua aſſentiendi, obſcura tamen, & quæ intellectum non convincat, nec ex ſe eum ſufficienter determinet ad aſſenſum; & tunc indiget determinari à voluntate, quę intellectum applicat, ut eam rationem apprehendat, eaque ad aſſenſum moveatur, & ſic in aſſenſu fidei voluntas intellectum movet,ut fortiter apprehendat teſtimoniū Dei, eoq; ad aſſenſum moveatur ea firmitate & ratione,qua ei per ſe aſſentiri nō poſſet.

239 Secundò. Dicendum eſt, communiter, & regulariter loquendo voluntatem in aſſenſu fidei determinare intellectum, non ſolùm ad exercitium, ſed etiam ad ſpecificationem actus. Hæc etiam eſt communis apud Coninchium *cit. Turrian.* 22. *diſp.*29. *dub.*2. *diſp.*27.*q.*2. Aretinum 3. *diſt.* 25. *qu.* 2. *art.* 1. & alios, & deducitur expreſsè ex Scoto *loc. cit.* Probatur, quia tunc voluntas intellectum determinat, non tantum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem actus, cùm eum ad utramque partem ex ſe indifferentem movet, ut potius eliciat aſſenſum, quàm diſſenſum; ſed ità communiter accidit in noſtro aſſenſu fidei; ergo &c. Minor probatur, quia communiter, & regulariter propoſitis fidei obiectis eſt in noſtra poteſtate non ſolùm eis non aſſentiri, ſed etiam diſſentiri, ut patet experientia in multis, qui obiectis fidei ſibi propoſitis ità ſufficienter, ut credere teneantur, & non credendo peccent, nihilominus propter malum voluntatis affectum poſitivè diſcredunt, ſuis adhærentes erroribus; Ratio hujus eſt, quia communiter, & regulariter loquendo homines non moventur ad credendum per motiva credibilitatis ſic ſufficienter propoſitis, ut ab eis determinari debeant ad ſpeciem actus circà id, quod credunt; ſimpliciores enim, & idiotæ communiter non ſunt capaces diſcurſuum, qui ſunt neceſſarii, ut ſic illa motiva proponantur; nam communiter ad fidem moventur ex eo, quod Parochus, vel parentes proponant illis credenda eſſe illa, quæ credunt, quod motivum non ſufficit ad ſpecificationem actus, ut benè diſcurrit Poncius *loc. cit.* Hinc Concilium Arauſicanum *loc. cit.* docet per voluntatem credendi hominem corrigi ab infidelitate ad fidem, hoc eſt ex diſſenſu infidelitatis ad aſſenſum fidelitatis, quæ non ſolùm eſt determinatio quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem; hoc loquendi modo ſignificans communiter requiri imperium voluntatis ad determinandum intellectum etiam ad ſpecificationem actus circà propoſitionem credendam, quo determinetur ad credendum potius, quàm ad diſcredendum, & ideò communiter actum fidei eſſe liberum, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem.

Dixi verò, ità communiter, & regulariter contingere, quia 240
ſimpliciter, & abſolutè loquendo, quando proponeretur revelatio divina de propoſitione credenda per motiva credibilitatis evidenter, ſivè evidentia phyſica, ſivè morali, non eſt neceſſarium ad ſpecificationem actus imperium aliquod voluntatis, quia in tali caſu non ex imperio voluntatis proveniret, quod quis propoſitioni illi potius credat, quàm diſcredat, quaſi imperio voluntatis mediante, poſſet fieri tunc, ut poſſet etiam intellectus diſcredere; & hoc expreſsè ſignificavit Doctor *loc. cit.* ab initio articuli, quando dixit, quod licet voluntas ſemper habeat imperium ſuper actum credendi, quatenus poteſt impedire intellectum, ne exeat in actum, tamen non ſemper habet imperium ſuper oppoſitum actum, ut contingit in propoſito caſu de evidentia phyſica, vel morali propoſitionis obiecti credibilis; Et ratio eſt, quia tunc non eſſet aliquod motivum intellectui propoſitum, ob quod poſſet diſcredere, non poteſt autem diſcredere abſque aliquo motivo, etiam voluntate imperante, quia non poteſt voluntas determinare intellectum, ut feratur extrà ſuum obiectum; ſed obiectum intellectus eſt verum evidenter, vel probabiliter apparens; ergo ubi nulla elucet neque evidenter, neque probabiliter ratio veritatis, non poterit eſſe obiectum intellectus, & conſequenter implicat, ut ad illud ex imperio voluntatis determinetur, cùm omne imperium ſupponat obiectum, circà quod verſari poſſit potentia, ergo in caſu propoſito, ſi habet ullum actum intellectus, debet eſſe aſſenſus, & non poteſt eſſe diſſenſus, quamvis poſſet eſſe non aſſenſus; & conſequenter ex voluntatis imperio non oritur, quod in tali caſu habeat aſſenſum potius, quàm diſſenſum, ſed ſolùm quod potius habeat aſſenſum, quàm non aſſenſum. Hinc putat Coninch. cit. ità in Angelis contigiſſe, qui propter evidentiam myſteriorum fidei in atteſtante ità clarè videbant ea eſſe neceſſariò vera, ut non poſſent iis diſſentire.

Inſtabis, infidelibus proponi interdum motiva credibilitatis, tam evidenter, quam poſſunt proponi, & adhuc eos non ſolùm non credere, ſed poſitivè diſcredere, quod non niſi ex imperio voluntatis oriri poteſt; ergo &c. Reſpondeo in his caſibus, quamvis motiva fidei proponantur illis ſufficienter externè, ſivè ſcripto, ſivè verbo, non tamen ab eis internè ſufficienter percipi vim illorum; quod in quibuſdam ex habitudine ingenii procedere poteſt, in aliis verò ex pravo affectu, ergà veram fidem, & ex pertinacia, qua ſuis adhærent erroribus; undè ut convertantur, peculiaris gratia Dei requiritur, qua eorum voluntas à tali pertinacia removeatur, & deſiderium concipiant veram amplectendi fidem, quod deſiderium pius voluntatis affectus dici poteſt.

Tertiò Dicendum eſt, quemlibet fidei aſſenſum de facto eſ- 241
ſe liberum libertate exercitii proximè, ſivè eliciatur ab illis, quibus non proponuntur motiva credibilitatis ſufficientia ad evidentiam moralem revelationis de re credenda, ſivè ab aliis, quibus proponuntur cum tali evidentia morali. Hæc aſſertio deducitur ex Scoto loco citato, ubi ait, voluntatem ſemper habere imperium ſuper actum credendi, quatenus poteſt impedire intellectum, ne exeat in actum, quod eſt actum fidei eſſe liberum libertate exercitii; eſt communis Auctoribus ſecundæ ſententiæ, manetque ſufficienter probata ex dictis in prima concluſione, & præſertim ex Trident. ſeſſ.6. cap.6. ubi fidem, quæ eſt diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem in omnibus adultis, dicit eſſe liberam; certum autem eſt aliquibus iuſtificandis proponi motiva credibilitatis ſufficientia ad evidentiam moralem revelationis de rebus credendis; ergo univerſaliter de facto in omnibus, actus fidei eſt liber libertate exercitii proximè; probatur conſequentia, quia ſi aliquid neceſſariò intellectum determinaret ad fidei aſſenſum, maximè eſſet evidentia moralis, quam quis haberet, quod myſteria eſſent revelata; ſed hoc non quia cum tali evidentia morali adhuc ſtet inevidentia phyſica tam revelantis, quam rei revelatæ, atque ideò intellectus convictus non remanet, nec determinatus ad aſſenſum undè nil obſtat, quin adhuc à voluntate impediri poſſit, qua ratione ſemper à Patribus, & Conciliis fides voluntaria appellatur, & actus fidei liber libertate ſaltem exercitii.

Reſpon-

242 Reſpondent Auctores primæ ſententiæ, adductas auctoritates aliud non probare, quàm fidei libertatem; eſſet autem adhuc libera, quando proponerentur ſufficienter motiva credibilitatis, quia adhuc libere concurreret ad permittendam illam ſufficientem motivorum propoſitionem, quam impedire poſſet; dupliciter enim intelligi poteſt voluntatem movere intellectum ad exercitium, aut ſpecificationem actus; primò ſolùm remotè, quatenus applicat eum, ut cogitet de obiecto fidei, ſibique illud proponat ſub ratione credibilis, vel non credibilis excogitando rationes, quæ ipſum movere poſſunt ad credendum, aut retrahere; Secundò immediatè, & proximè, itaut propoſito ſufficienter motivo voluntas intellectum immediatè applicet ad aſſentiendum, aut diſſentiendum; dicunt itaque fidem primo modo eſſe liberam ſaltem quoad exercitium, & pendere à motione voluntatis, in cujus poteſtate eſt applicare intellectum ad has, vel illas res aut rationes cogitandas; non autem ſecundo modo, quia propoſito ſufficienter obiecto fidei, jam intellectus neceſſariò aſſentit, quod eſt aſſenſum fidei eſſe liberum libertate exercitii remota, non verò proxima.

243 Sed contrà, quia actus fidei eſt liber libertate exercitii etiam proxima, hoc eſt, non ſolùm quatenus dependet à libertate voluntatis, qua mediante poſſet impedire, ne proponerentur ſufficienter motiva revelationem perſuadentia, ſed quatenus adhuc ſuppoſita etiam illa propoſitione à libertate voluntatis dependet, ut aſſenſus eliciatur, vel non; Et planè, certum eſt Concilia, & Patres de hac ſecunda libertate locutos eſſe, dùm actum fidei dicunt eſſe liberum; loquuntur, inquam, de libertate proxima; & non tantùm de remota, quia hæc non tantùm competit fidei, ſed etiam ſcientiæ, quatenus in poteſtate voluntatis eſt applicare intellectum ad conſiderationem obiecti neceſſarii, & ſcibilis, cùm tamen certum ſit Patres aliquam libertatem actui fidei concedere, quæ ſcientiæ convenire non poteſt; ergò Patres, dum aſtruunt aſſenſum fidei eſſe liberum, non agunt de libertate illa remota, ſed de proxima; Tùm quia actus fidei eſt meritorius, ad meritum autem illa ſola remota libertas non ſufficit, ſed neceſſario etiam requiritur proxima. Videatur Arriaga *diſp.17.ſect.1.* id probans expreſſis Scripturis.

244 Reſpondent Auctores tertiæ ſententiæ concedendo aſſenſum fidei eſſe liberum libertate exercitii etiam proximè; inquiunt tamen ad hoc non ſemper opus eſſe, ut voluntas poſitivè intellectum moveat ad credendum, ſed ſufficere, quod voluntas non contradicat, quod cenſent eſſe de mente Scoti 3. *diſt.25. qu.2.* ubi ſic loqui videtur. Sed contrà, quia non ſufficit imperium voluntatis negativum, ut intellectus myſteriis fidei aſſentiatur; ratio eſt, quia nullo poſito voluntatis imperio poſitivo, manet intellectus indifferens, & indeterminatus ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum; ergò neceſſariò eget poſitivo voluntatis imperio, ut poſitivè determinetur ad credendum potius, quam non credendum; antecedens patet ex dictis concluſione prima, quia cùm nequeat determinari ab obiecto, utpotè obſcuro, neque à ſeipſo, cùm ſit libertatis expers; nec ſolum negativum imperium ſufficiat; cùm hoc intellectum indifferentem relinquat, ſicut anteà ſequitur neceſſarium eſſe poſitivum voluntatis actum ad illum poſitivè determinandum. Tùm quia ſi illa voluntatis non reſiſtentia ſufficeret, ſequeretur fidem etiam in homine juſto meritoriam non eſſe, quia pura omiſſio voluntatis, præſertim in communi ſententia, nequit eſſe meritoria. Tùm tandem quia Concilia, & Patres citati exigunt poſitivum voluntatis affectum, qui ſit initium fidei, & ex inſpiratione Spiritus ſancti, ut conſtat ex dictis in prima concluſione. Scotus autem loc. cit. licet dicat, quod poſita fide acquiſita credibili præſente, poteſt intellectus per habitum infuſum credere, dummodo voluntas non contramoveat, nec plus requiritur; hoc eſt, quod poſſunt credibilia eſſe præſentia in ſe per auditum, id eſt, per revelantem, vel prædicantem, & hoc modo intellectus informatus fide infuſa poteſt aſſentiri credibili ſine actu poſitivo voluntatis, & ſatis eſt, quod voluntas non contradicat. Nihilominus, quia hæc doctrina non erat conſona dictis in calce præcedentis quæſtionis, ubi dixerat voluntatem habere imperium poſitivum ſuper actum credendi; ſtatim ſubdit aliam reſponſionem dicendo, quod licet ad credendum requiratur motio poſitiva voluntatis, id eſt, quod voluntas actualiter imperet intellectui, ut aſſentiat, non requiritur tamen, ut voluntas imperet talem actum, quod ſit informata aliquo habitu ſupernaturali, cùm à ſolo intellectu habituato, & à voluntate nuda imperante poſſit actus ipſe credendi elici, etiam intenſiſſimus in ſua ſpecie; atque ità notarunt non ſolum Vulpes, Aretinus, & alii meliores Scotiſtæ, ſed etiam Suarez, Amicus, & alii Recentiores in Scoti intelligentia peritiores.

245 Quartò dicendum eſt, etiam poſita evidentia atteſtantis neceſſarium eſſe imperium voluntatis ad determinandum intellectum ad ipſum exercitium actus, atque ideò actum credendi adhuc in tali caſu eſſe proximè liberum libertate exercitii. Hæc concluſio eſt contrà Poncium *diſp.27.quæſt.2.num.22.* ubi ait in tali caſu actum credendi non eſſe proximè liberum magis, quàm ſit actus ſcientiæ; deducitur tamen ex Scoto *diſt.25.cit. quæſt.1.* in calce, ubi ait, intellectum non cogi ad aſſentiendum, niſi media demonſtratione, in qua reperitur intrinſeca connexio cum obiecto, vel tanquam cauſæ cum effectu, ſi fuerit à priori, vel tanquam effectus cum cauſa, ſi fuerit à poſteriori; Cùm igitur evidentia in atteſtante ſit obiecto atteſtato extrinſeca, nec habeat cum eò neceſſariam connexionem, aut tanquam cauſa cùm effectu, aut tanquam effectus cum cauſa, non cogit intellectum quoad exercitium actus, ſed ad ſummum determinabit illum, quoad ſpecificationem; quia ſtante evidentia atteſtantis non poterit diſſentire obiecto atteſtato; ergò quoad exercitium actus requiritur adhuc imperium voluntatis; Conſequentia patet, quia in eò, in quo intellectus non cogitur ab obiecto, manet indeterminatus, atque adeò imperio voluntatis eget, ut determinetur ad exercitium actus; & hoc modò aliqui Prophetæ cùm evidentia myſterii, revelati in atteſtante habuerunt fidem liberam, quoad exercitium, eſtò non fuerint liberi, quoad ſpecificationem.

246 Sed inſtat Poncius, quia evidentia illa phyſica, in atteſtante de revelatione, & veracitate Dei facit, ut ſit evidens ipſi, quod res revelata ſit vera; ergò tam benè determinabitur ad judicandum, quod ſit vera, quàm determinabitur ad judicandum, quòd concluſio ſcientificè propoſita ſit vera, aut ad judicandum, quod primum principium ſit verum, eadem enim prorſus eſt ratio, quia veracitas Dei, & revelatio ejuſdem ſunt præmiſſæ aſſenſus obiecti revelati, ut patet in hoc ſylogiſmo, quod Deus dicit eſt verum, hoc Deus dicit, ergò eſt verum.

Reſpondeo negando antecedens, vel etiam eò conceſſo negatur conſequentia, tunc enim tantùm ſtante evidentia præmiſſarum non poteſt intellectus ſuſpendere aſſenſum concluſionis, quandò præmiſſæ ſunt cauſa, vel effectus concluſionis in eſſendo; quia tunc concluſio ſecundum ſuum determinatum eſſe in illis intrinſecè continetur, ideoque per eandem præmiſſarum notitiam intellectus determinatur ad notitiam concluſionis in illis implicitè contentæ; Hoc tamen verificatur, quando præmiſſæ non ſunt cauſa, vel effectus concluſionis in eſſendo, ſed ſolùm medium extrinſecum, ut eſt in propoſito de revelatione, & veracitate Dei reſpectu obiecti revelati, ſiquidem cùm ipſo ſecundum ſe nullam habent intrinſecam connexionem, ſed tantùm extrinſecam, ex eò ſcilicet, quod non poteſt id, quod prima veritas dicit, non eſſe verùm; ut fusè declaratum eſt *qu.3. art.2.* intellectus autem ex Scoto loc. cit. non cogitur ad aſſentiendum, niſi vel ab obiecto in ſe viſo, vel ab eo, quod per intrinſecam connexionem continetur in ipſo obiecto; quare in adducto ſyllogiſmo ex vi præmiſſarum intellectus cogitur ad aſſentiendum concluſioni, quoad ſpecificationem duntaxat, quia ſtante evidentia atteſtantis, & veritatis ejus non poteſt diſſentire obiecto revelato, non tamen quoad exercitium actus.

247 Quintò Dicendum eſt, quod licet ab initio, quandò primò intellectus aſſentitur obiecto fidei, indigeat poſitivo voluntatis imperio, & in hoc ſenſu ſemper ſit neceſſarius actus ſupernaturalis voluntatis ad credendum, & ſubiiciendum intellectum Fidei Chriſtianæ; poſteà tamen, quando fidelis jam aſſuetus eſt ad credendum, & aſſentiendum myſteriis fidei, non videtur ſemper neceſſarium tale voluntatis imperium, quo applicetur intellectus ad credendum, ſed tantùm quo applicetur, ad cogitandum de rebus fidei; undè contingere poteſt, ut fidelis per actum naturalem voluntatis ſe applicet ad conſiderandum, vel contemplandum in materia fidei, & poſteà exerceat ſupernaturales actus intellectus ſine alia motione actuali per ſupernaturalem actum voluntatis; quia tunc jam habitu ducitur, & actus ſupernaturales, qui tunc fiunt, non producuntur in tali ſpecie ex vi imperii præſentis voluntatis, ſed in virtute præcedentium actuum voluntatis ſupernaturaliter moventis, & intellectum ſubiicientis Chriſtianæ fidei; Ità Suarez *diſp.6.ſect.7.num.6.* ubi in hoc ſenſu intelligit, quod inquit Scotus 3. *diſtinct.25.quæſt.2.* poſſe interdum voluntatem per actum naturalem movere intellectum ad credendum fide Divina; quam interpretationem ex noſtris amplectitur etiam Aretinus citat. Et quidem in fideli ad credendum aſſueto non eſſe neceſſarium tale voluntatis imperium poſitivum ad credendum, ſicut ab initio indigebat, experientia ipſa comprobatur, experimur enim in nobis multos actus fidei, cùm primum excitantur ſpecies obiectorum credibilium ſine ullo voluntatis imperio, quia habemus jam intellectum ità aſſuefactum ad credendum, ut per modum naturæ videamur eos actus elicere, & in tali caſu inquit Doctor *loc. cit.* poſſe intellectum per habitum infuſum credere, & ex parte voluntatis ſufficere; quod non contramoveat, nec plus requiri; & quod ſi requiritur motio poſitiva voluntatis, ſufficit voluntas ad ſic movendum in puris

puris naturalibus; in hoc, inquam, ſenſu poteſt, ac debet intelligi Doctor *loc. cit.*

248 Reſpondet Arriaga diſp.7. ſect.1. conſuetudinem illam non tollere omninò neceſſitatem imperii ex parte voluntatis, ſed ſolùm efficere, ut intellectus facilius obediat; & ultro fatetur facilius nos credere; at inquit id provenire primò, & principaliter ex voluntate, quæ magis eſt affecta erga res fidei, ideoque citius imperat tales aſſenſus; ex parte verò intellectus ratione ſpecierum, quæ naturales ferè ſemper ſunt, ac proptereà intendi poſſunt repetitione actuum, eſt minor difficultas, vel reſiſtentia, ideoque facilius trahitur per imperium; Et per hoc ad experientiam reſpondet, quod utique non videmur poſt illam conſuetudinem ſentire in nobis tale imperium, verè tamen illud adeſſe, ſed quia facilè excitatur, ideò non ſentiri, ut in multis aliis materiis apparet. Addit *ſect.4.* in fine *n.39.* eo ipſo, quod experimur eum actum fidei eſſe nobis liberum, quia potuimus non credere, experiri nos actum voluntatis, nam ſine ea non eſt libertas proportionata pro actu ſupernaturali fidei.

249 Verum à nobis experiri non poſſe, nec evidenter cognoſci, quando eliciamus actus verè ſupernaturales jam ex communi Theologorum ſtatutum eſt ſuprà *qu.6. art.1. n.188.* & ſed qua ratione dicebamus actum credendi ex fide infuſa elicitum eſſe tantum ſupernaturalem quoad modum, non quoad ſubſtantiam; Et quidem dum intellectus habet aſſenſum fidei acquiſitæ de obiecto revelato, non poteſt de eodem ſimul habere diſſenſum per fidem infuſam; ergo per aſſenſum fidei acquiſitæ intellectus ſufficienter determinari poteſt, ſaltem quoad ſpecificationem ad aſſenſum fidei infuſæ, undè ad aſſenſum fidei infuſæ ſaltem quoad ſpecificationem videtur ſufficere imperium, quod requiritur ad actum fidei acquiſitæ, etiamſi quoad exercitum aliud imperium ſupernaturale ex parte voluntatis requireretur. Tùm quia in fideli ad credendum aſſueto neque etiam quoad exercitum tale imperium poſitivum, & ſupernaturale ex parte voluntatis ſemper neceſſarium videtur; ſed interdum poteſt ſufficere negativum, nempè quod voluntas ex conſuetudine magis affecta erga res fidei non renitatur, neque contradicat, ſed virtualiter, ac quaſi habitualiter in talem actum conſentiat, & hoc ipſum ad libertatem actus fidei ſufficere videtur. Undè non rectè diſcurrit Arriaga, dum inquit, eo ipſo, quod experimur actum fidei eſſe nobis liberum, quia potuimus non credere, experiri nos actum voluntatis; hoc enim totum ſalvatur præcisè per hoc, quod voluntas non contradicat, neque reſiſtat, etiam ſi nullum actum poſitivum eliciat, quo actum credendi impedit; per hoc enim præcisè adhuc actus fidei erit liber, quia potuimus non credere, ſi voluntas reſtitiſſet, & contradixiſſet.

250 Dices, hac quintam concluſionem repugnare tertiæ, ubi *n.244.* dictum eſt, ad aſſenſum fidei non ſufficere imperium voluntatis negativum, ſed omninò poſitivum requiri, quod probatum eſt ex Conciliis & Patribus ad actum credendi exigentibus pium, & poſitivum voluntatis affectum, qui ſit initium fidei, & ex inſpiratione Spiritus Sancti; ac etiam ratione, quia obiectum fidei, ut potè obſcurum, relinquit intellectum indeterminatum; at intellectus non determinatus ab obiecto debet determinari à voluntate; ergo ſemper indiget nova volitione imperante talem actum; quæ ratio etiam in propoſito urgere videtur, quia quantumcunque homo multos fidei actus habuerit, adhuc obiectum fidei ſemper remanet obſcurum, ac conſequenter intellectum ſemper relinquit indeterminatum, ut arguit Arriaga *loc. cit.*

Reſpondeo, quod cùm Concilia, & Patres dicunt ad credendum eſſe neceſſarium pium voluntatis affectum, qui ſit initium fidei, & inſpirationem Spiritus Sancti, loquuntur præſertim ab initio, quando primò intellectus aſſentitur myſteriis fidei, & in hoc ſenſu dicunt ſemper eſſe neceſſarium imperium poſitivum ſupernaturale ex parte voluntatis ad determinandum intellectum ad fidei aſſenſum; non verò poſteà, quando fidelis multos jam habuit credendi actus, quibus aſſuefactus eſt ad credendum per intenſionem fidei acquiſitæ, nam in tali caſu videtur ſolùm imperium negativum ſufficere, quod ſcilicet voluntas ex conſuetudine jam magis affecta ergà res fidei non renitatur, neque reſiſtat, ſed virtualiter, ac veluti habitualiter in talem actum conſentiat; hoc enim ſufficit tùm ad libertatem actus fidei, ut oſtenſum eſt, tùm etiam ad ſupernaturalitatem, quia illa non reſiſtentia, vel renitentia ad credendum provenit ex pia conſuetudine jam contracta à voluntate circà res fidei, & pura ommiſſio in ſententia noſtra poteſt eſſe ſupernaturalis, & meritoria, ut conſtat ex *lib. 2. Sentent. diſp. 5.* de actibus humanis. Et quamvis obiectum fidei etiam poſt multos repetitos fidei actus ſemper in ſua obſcuritate remaneat, ac proindè de ſe inſufficiens ad determinandum intellectum ad aſſenſum; ex conſuetudine tamen ab intellectu contracta ſepius aſſentiendi myſteriis fidei obſcuris videtur determinari poſſe ad aſſenſum ſine nova volitione talem actum imperante, ſolùmque ſufficere, ne voluntas contradicat, & renitatur; Et hoc totum probabiliter dico cum Suarez *loc. cit.* ad defendendam Scoti doctrinam, quam tradidit *3. diſt. 25. quæſt. 2.* quod ſi placet cum communiori ſententia non ſufficere imperium negativum voluntatis, ut intellectus poſitivè aſſentiatur myſteriis fidei, ſed ſemper requiri poſitivum etiam poſt multos repetitos fidei actus, quia cum Concilia, & Patres inquiunt neceſſarium eſſe ad credendum pium voluntatis affectum ad ſubiiciendum intellectum fidei Chriſtianæ, abſolutè, & ſine limitatione loquuntur, tunc illa Scoti doctrina intelligenda erit, ut explicuimus ſuprà *num. 244.*

251 Sextò tandem Dicendum eſt, non repugnare de potentia abſoluta, intellectum elicere aſſenſum fidei circà obiectum obſcurum ſine ullo voluntas imperio, ſupplente Deo virtutem, & efficaciam talis imperii; ità Turrianus *diſp.29. dub. 4.* Amicus *diſp.10. ſect.5.* & alii Recentiores; Ratio deducitur ex Scoto *3. diſt.25. quæſt. 2.* ubi ait, quod actus credendi eſt ab obiecto præſente, ſicut ab efficiente, non ſic autem eſt à voluntate; aliter ſi voluntas eſſet cauſa actus credendi, & proponeret intellectui, aſtra eſſe paria, nulla perſuaſione facta, poſſet voluntas imperare intellectui credere determinate, aſtra eſſe paria, quod eſt impoſſibile, nam oportet obiectum habere cauſalitatem ſuper actum, nec voluntas movet, niſi moveat obiectum; & obiectum movet effectivè, voluntas verò ſolum imperativè, ac veluti moraliter, quem cauſalitatis modum utique videtur Deus ſupplere poſſe; licet in caſu talis actus non eſſet liber, & voluntarius, cùm nullus actus poſſit eſſe voluntarius, qui à voluntate non procedit.

Dices, non poteſt Deus ſupplere cognitionem repræſentantem obiectum voluntati; ergò neque imperium voluntatis intellectum determinantis ad aſſentiendum. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt, ut advertit Amicus, quia cognitio ad genus cauſæ formalis ſpectat, utpotè repræſentans obiectum, a quo voluntatis actus ſpecificatur: at imperium ad genus cauſæ efficiens reducitur, quia determinat, potentiam ad exercitium actus; cùm igitur non poſſit Deus genus cauſæ formalis ſupplere, benè tamen efficientis, hinc eſt, quod licet nequeat ſupplere notitiam obiecti, adhuc tamen poterit ſupplere imperium voluntatis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Obiectiones ſolutæ.

252 IN oppoſitum Primò obiicitur, ad probandum nullum ad aſſenſum fidei eſſe neceſſarium voluntatis imperium præſertim poſitivum; nam ait Ariſtot. 2. de Anima poſſe nos phantaſiari, ſeù imaginari, cùm volumus, opinari autem non ità; ergò intellectus non movetur ad aſſenſum fidei immediatè à voluntate, ſed ſolùm à motivis propriis, & merito eorum. Deindè Dæmones circà res fidei piam non habent affectionem, & tamen illas credunt juxtà illud Iacob. 1. *Dæmones credunt, & contremiſcunt*; ergo ad credendum non requiritur neceſſariò pia voluntatis affectio. Denique motiva credibilitatis benè, & ſufficienter propoſita habent vim determinativam intellectus, niſi contra nitatur voluntas; ergo non requiritur actus voluntatis poſitivus.

Reſpondeo, Ariſtot. ibi intendere, nos poſſe imaginari, & apprehendere quaſcunque propoſitiones tam veras, quàm falſas, cùm volumus; at non ſic opinari poſſe illas eſſe veras, aut fallas pro arbitrio noſtro, niſi ad hoc faciendum aliquod ſufficiens habeamus motivum, quod totum hìc nos quoque de fide fatemur; quia non poteſt voluntas abſque ulla ratione, vel evidenter vera, vel ſaltem probabiliter determinare intellectum ad alterutram contradictionis partem, ut falsò putavit Caietan. *part.2. quæſt.65. art.4.* interim tamen negare noluit voluntati vim determinandi intellectum ad aſſenſum, quando proponitur ratio aliqua aſſentiendi, obſcura tamen, & quæ de ſe intellectum non convincat, nec ex ſe eum determinet ſufficienter ad aſſenſum, ut in propoſito contingit de motivo fidei.

Ad 2. negatur paritas de nobis, & Dæmonibus, ſiquidem ab iſtis motiva noſtræ fidei, ac eorum vis ob excellentius Lumen intellectuale ità penetrantur, ut poſſint in eis generare evidentiam phyſicam, vel ſaltem moralem in tali gradu, qua etiam inviti convincuntur circà res fidei, & ad aſſentiendum determinantur, ſaltem quoad ſpecificationem, itaut obiecto revelato diſſentire nequeat; nobis tamen myſteria fidei, & eius motiva non ità profundè penetrantibus, neceſſaria eſt pia affectio in voluntate.

Ad 3. conſtat ex dictis *nu.237.* motiva credibilitatis benè, & ſufficienter propoſita habere quidem vim determinativam intelle-

tellectus, non quidem ad aſſenſum circà veritatem propoſitam, ſed ſolùm ad practicè judicandum illud, quod proponitur, poſſe, ac debere evidenter credi; quo tamen facto remanet adhuc indifferens intellectus ad eliciendum aſſenſum, ad quem requiritur prædicta voluntatis motio.

253 Secundò Obiicitur, quia intellectus non movetur, niſi à veritate obiecti, voluntas autem non poteſt ponere, vel augere viritatem obiecti, ut magis moveat intellectum; ergo voluntas non poteſt movere intellectum, niſi applicando illum ad inquirenda motiva; probatur aſſumptum, quia per hoc, quod voluntas velit credere, obiectum non habet majorem rationem, nec apparentiam veri.

Reſpondeo, negando conſequentiam, nam negantes tale imperium poſitivum neceſſarium eſſe ad fidei aſſenſum, adhuc admittunt requiri ſaltem, ne voluntas poſitivè reſiſtat, & tamen æquè certum eſt per talem non contranitentiam non reddi obiectum magis verum; ſicut ergo hanc illi exigunt ad eliciendum fidei aſſenſum, non quidem ut obiectum reddatur magis verum, ſed ex eo, quod nequeat cum veritate, quàm habet, determinare intellectum ob defectum evidentiæ, niſi illa non contranitentia interveniat, ità nos pariter diſcurrimus de pia Volitione. Undè intellectus movetur à voluntate ad aſſenſum fidei, non quidem ut ab obiecto ſuadente, vel aliquo gerente vices obiecti, ſed ut ab extrinſeco impliente, & determinante ad aſsenſum circa veritatem ſufficienter quidem propoſitam, non tamen efficaciter, ideſt taliter, ut ſolum obiectum neceſſitet ad aſſenſum voluntate ſecluſa, ut contingit de actu ſcientifico. Neque id mirum videri debet, ut enim notat Arriaga *ſect.* 2. poteſt, & ſæpè ita contingit, ut quaſi ex parte obiecti ſit potentia aliqua ſufficienter applicata, & tamen abſolutè loquendo indigeat adhuc alia ulteriori applicatione, ut hìc, & nunc determinetur ad operandum; ſic ſuo modo potentia loco motiva antè omne voluntatis imperium poteſt eſſe ſufficienter expedita ad motum localem, & adhuc voluntatis imperio indigere, ut prodeat in actum.

254 Dices, intellectum non ſubordinari voluntati eo modo, quo potentia motiva, ſed ſicut potentiæ cognoſcitivæ, ut viſus, & auditus, quas certum eſt non eſſe ita voluntati ſubordinatas, ut ad earum exercitium requirant imperium, aut volitionem ejus. Reſpondéo inſtantiam æquè urgere Adverſarios, qui ad aſſenſum fidei exigunt ſaltem non contranitentiam voluntatis, nam neque hanc requirunt viſus, & auditus, ut ſatis de ſe patet; dico itaque intellectum quantùm ad actus fidei, & opinionis alio modo ſubordinari voluntati, quàm viſum, & auditum, quia hæ potentiæ neceſſariò moventur, & trahuntur ab obiecto eis evidenter propoſito, non ſic intellectus ab obiecto credibili ſibi obſcurè tantùm, ac inevidenter propoſito; ut enim intellectus neceſſariò moveatur, requiritur, ut non ſolùm proponatur obiectum, ut verum utcunque ſed evidenter, quia ex ſe tantùm trahi natus eſt à veritate ſic propoſita. Inſtabis rurſus, vel actus poſitivus voluntatis requiritur, tanquam conditio applicans obiectum intellectui, vel tanquam removens impedimentum, vel tanquam ponens aliquid prærequiſitum, vel tanquam concauſa; nihil horum poteſt dici; ergo non requiritur.

255 Reſpondet Poncius, concurrere phyſicè, tanquam concauſam; ſicut concurrit cum potentia loco motiva ad motum; Cæterum Scotus 3. *diſt.* 25. *q.* 2. inquit, actum credendi eſſe ab intellectu, & ab obiecto præſente, ſicut ab efficiente; à voluntate verò non eſſe effectivè, ſed tantùm imperativè, ut ab extrinſeco impellente, & determinante intellectum ad aſſenſum circà veritatem obſcurè, & inevidenter propoſitam modo jam declarato; & quidem paſſim concedunt omnes, aſſenſum fidei non eſſe à voluntate, ut eliciente, ſed tanquam ab imperante, movente, & applicante.

256 Tertiò arguitur, quia ad credendum fide humana non eſt neceſſarium voluntatis imperium, imò verò intellectus cogitur ad credendum; ergò idem à fortiori erit de fide divina; antecedens patet experientia, quia non eſt in mea poteſtate credere, Romam eſſe, omnibus id affirmantibus, & nullo prorſus contradicente; conſequentia probatur, quia teſtimonia fidei divinæ infallibiliora ſunt humanis ex illo Ioan. 5. teſtimonium hominum accipimus, ſed teſtimonium Dei maius eſt.

Confirmatur, quia motivum fidei, ſive teſtimonium Dei fortius movet intellectum, quàm motivum ſcientiæ, quia fides eſt certior ſcientia; atqui motivum ſcientiæ ſine actu voluntatis per ſe ſufficienter movet intellectum ad aſſenſum; ergo idem dicendum erit de actu fidei.

257 Reſp. dimiſſis aliorum reſponſionibus, majorem eſſe veram, quando res dicta, aut ſcripta eſt ita moraliter factibilis, ut nullam patiatur difficultatem; non verò quando eſt in ſe valdè ardua, & extraordinaria, & contra quàm homo putat ſe habere argumenta alicuius momenti; tunc enim non eſt omnimoda libertas ad id non credendum, ſed neceſſaria eſt pia affectio ad credendum etiam in humanis, ut experientia docet, quandoquidem in eiſdem libris ab eodem Auctore ſcriptis aliquid creditur nullo interveniente voluntatis actu, ſi valdè facilè id contingere poteſt, qua facilitatis non creditur aliquod prodigium extraordinarium ab eodem Auctore ſcriptum; Quia ergo Myſteria Noſtræ Fidei, eſtò habeant maiora motiva, quàm quæ Fides Humana teſtatur, ſunt ex his rebus, quæ continent difficultatem, & videntur aliquo modo eſſe, contrà ea, quæ naturaliter percipimus, ut Myſterium Trinitatis, incarnationis, Paſſionis Chriſti, Euchariſtiæ, &c. ideò pia indigent affectione, ut firmiter credantur, & abſque hæſitatione. Dices, ergo ſaltem alii articuli, qui ſunt facilè credibiles, nec tantam continent difficultatem, ut Deum eſſe æternum, immenſum, &c. pia non indigent affectione, ut credantur. Negatur conſequentia; licet enim non omnia Fidei myſteria ſint in ſe ardua, ſed aliqua tantùm, quæ ſunt principalia, hoc ſufficit, ut pia requiratur affectio ad omnia credenda etiam facilia; debent enim illa credi Fide Univerſali parata, ut eodem modo maxima alia difficilia credantur; Tum quia etiamſi nullum fidei myſterium credendum difficultatem pateretur, ipſum tamen formale, ſeù intrinſecum motivum credendi eſt extrà curſum rerum, quas percipimus, Deum ſcilicet loqui cum hominibus, quibus illa revelavit, ut merito ratione huius difficultatis pia requiratur affectio, qua captivetur intellectus, ut inquit Apoſt. 2. ad Corinth. in obſequium fidei, ut rectè diſcurrit Arriaga *loc. cit.*

Ad Confirmationem negatur conſequentia, quod enim obiectum formale fidei moveat intellectum, ut firmius, ac certius ſuo aſſentiatur obiecto, non provenit ex ipſius obiecti evidentia, ac vehementia in movendo intellectum, ſicut evenit de obiecto ex maiori ipſius infallibilitate, & ex conſtanti voluntatis imperio, quo efficitur, ut intellectus firmiſſimè ſuo adhæreat.

258 Quartò Obiicitur, vel obiectum Fidei proponitur, ut magis verum, quàm oppoſitum, vel æqualiter, vel ut minus; quocunque autem modo dicatur, non videtur habere locum libertas voluntatis in credendo; ſi enim proponitur, ut magis verum, non poteſt non illi aſſentiri præ oppoſito; ſi æqualiter etiam videtur imperceptibile, ut voluntas imperet aſſenſum circà hoc obiectum potius, quàm circa illud, ſi hoc non apparet magis verum, quàm illud; quod tantò magis dicendum videtur, ſi proponatur ut minus verum, & hanc putat Arriaga eſſe ſummam hujus quæſtionis difficultatem.

Reſpondetur cum eodem, evidentiam de credibilitate myſteriorum fidei non conſiſtere in eo, quod revelatio credenda appareat nobis magis vera, quàm eius carentia; ſed quia apparet nobis magis digna, ut per piam voluntatis affectionem captivetur intellectus ad aſſentiendum illi, quàm ut permittatur intellectus iudicare, prout ſibi apparet; provenit verò illa maior dignitas ex eo, quod lumen naturale dictat melius eſſe in talibus rebus, quæ non poſſunt ratione decidi ſuum iudicium aliorum ſententiæ ſubiicere, præſertim quando, & de eorum ſanctitate, & providentia ei aliundè conſtat, quàm uni, aut alteri argumento in contrarium apparenti credere.

259 Quintò demum è contra obiicit Arriaga contra quintam concluſionem poſitam *n.* 147. probando, non ſolùm quando primò intellectus aſſentitur obiecto fidei indigere voluntatis imperio, ſed etiam quandocumq; poſtea credit, quia etiam tunc non cogitur intellectus ab eo obiecto magis, quàm ab initio, nam imperium præcedens, ſi hodie non exiſtat, tam parum poteſt hodie determinare, quàm ſi nunquam extitiſſet; tota enim difficultas ex parte obiecti, quæ fuit ab initio, eſt etiam poſt, ſiquidem ea deſumebatur ex obſeuritate obiecti, hæc autem obſcuritas eadem ſemper eſt etiam poſt multos repetitos fidei actus, hi enim cùm ſemper ſint obſcuri, profecto habitum clarum generare non poſſunt, ut per ſe conſtat.

Confirmatur, quia actus ipſe fidei præcedens nihil efficit, niſi ſpecies, ſpecies autem, quæ relictæ ſunt ex illo, non cogunt intellectum, quia ſunt obſcuræ; ergò nihil eſt, undè iam intellectus tali imperio non indigeat. Demum, quia ex repetitione actuum ſolùm ſequitur, quod ſpecies facilius excitentur; atqui ea excitatio non cogit ad aſſentiendum illi obiecto; ergo adhuc requiretur voluntatis determinatio; minor probatur, nam excitatis ſpeciebus de eodem obiecto ut patet in primo actu credendi, adhuc intellectus non cogitur; ergo quod ſpecies excitentur facilius, non poterit ullo modo cogere, ſi enim cauſa, quæ ponitur, non aufert libertatem, non poteſt eam auferre velocitas, aut tarditas in ea ponenda. His argumentis contendit Arriaga etiam pro ſecundo, & tertio actu fidei ſemper neceſſariam eſſe piam affectionem, quæ illum imperet.

260 Reſpondeo ex dictis *n.* 250. quod quamvis fidei obiectum etiam poſt multos repetitos fidei actus ſemper in ſua obſcuritate remaneat, ac proindè de ſe inſufficiens ad intellectum determinandum ad aſſenſum; ex conſuetudine tamen ab intellectu vontracta ſæpius aſſentiendi myſteriis fidei obſcuris per habitum

bitum

bitum infuſum, videtur determinari poſſe ad aſſenſum ſine nova volitione talem actum imperante, ſolumque ſufficere, ne voluntas jam circa res fidei habitualiter affecta contradicat, & renitatur, idque ſatis eſſe tam ad libertatem, quam ad ſupernaturalitatem actus fidei modo ibidem explicato.

Ad Confirmationem dico ex iteratis credendi actibus per fidem infuſam præter ſpecies generari habitum naturalis ordinis, ut patet in Catholico, qui erat aſſuetus elicere actus ſupernaturales fidei, hic enim acquirit facilitatem credendi, ut patet experientia ſed illa facilitas non provenit ex habitu per ſe infuſo fidei, tùm quia tales habitus non habent ex natura ſua dare facilitatem, ut ſuprà dictum eſt, tùm quia illa facilitas remanet in ipſo ad credendum aliquibus articulis, quando propter hæreſim, in quam incurrit; perdidit habitum fidei infuſæ; quamvis ergò talis habitus intellectum non cogat ad credendum nihilominus negari nequit, quin valdè facilitet, quare cum habitu fidei acquiſitæ concurrente habitu fidei infuſæ videtur intellectus ex ea conſuetudine ſæpiùs aſſentiendi myſteriis fidei obſcuris determinari poſſe ad aſſenſum ſupernaturalem ſine nova volitione talem actum imperante, ut diſcurrit Suarez *loc. cit.*

Ad ultimum patet per idem, quia licet habitus ille acquiſitus ex frequentatis credendi actibus non cogat ad credendum, ità ut voluntas impedire nequeat aſſenſum, ſi velit ità tamen facilitat ad tales aſſenſus, ut concurrente habitu infuſo elici poſſint ſine nova volitione illos imperante, per hoc ſolùm quod voluntas non contradicat:

261 Sed adhuc inſtat Amicus, per affectum credendi fide acquiſita homo eſt tantùm determinatus ad aſſentiendum myſteriis revelatis ex teſtimonio humano evidenter applicato, non autem ex teſtimonio divino obſcurè cognito; ergò imperium ſufficiens ad aſſenſum fidei acquiſitæ non ſufficit ad aſſenſum fidei infuſæ, antecedens patet, conſequentia probatur, quia longè major difficultas eſt velle aſſentiri myſteriis revelatis propter ſolam revelationem obſcuram, quam propter teſtimonia, & rationes humanas evidenter cognitas; ergò imperium, quod ſufficit ad unum aſſenſum, non ſufficit ad alium.

Reſqondeo neque Scotum abſolutè dixiſſe ad aſſenſum fidei infuſæ ſufficere imperium, quod requiritur ad actum fidei acquiſitæ; ſed ſolùm dixit poſſe fidelem per actum naturalem voluntatis ſe applicare ad conſiderandum, & contemplandum in materia fidei, & poſteà per habitum infuſum exercere ſupernaturales actus ſine alia motione actuali voluntatis, per hoc ſolùm quod ipſa non contradicat, & hoc ſufficit tùm ad libertatem actus, tùm etiam ad ſupernaturalitatem, quantum pendet ex parte voluntatis, quia illa non renitentia provenire cenſetur ex pia conſuetudine iam contracta à voluntate circa res fidei, & pura omiſſio talis renitentiæ in ſententia noſtra poteſt eſſe ſupernaturalis; quod totum probabiliter ſolùm dictum eſſe volo cum Suarez *loc. cit.* pro defenſione quintæ concluſionis, quam Scotus tradidiſſe videtur 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 2.

QUÆSTIO NONA.

An pia credibilitas affectio ſit ſupernaturalis, & peculiarem requirat in voluntate habitum infuſum

262 CIrca primam quæſiti partem, Prima ſententia tribuitur Scoto *loc. cit.* 3. *diſt.* 25. *q.* 2. quod ad actum fidei infuſæ imperium naturale voluntatis ſufficiat, ſeù viribus naturæ elicitum, quia cognito vero ſupernaturali poteſt voluntas propria virtute movere intellectum ad illud intelligendum, modò in eo non deſit habitus ad tale verum intelligendum, qualis eſt in propoſito habitus fidei infuſæ. Secunda verò, & communis ſententia docet ad actum fidei infuſæ requiri imperium ſupernaturale voluntatis, quod alii cenſent eſſe ſupernaturale quoad ſubſtantiam, alii verò tantum quoad modum.

Circa aliam quæſtionis partem, Prima pariter ſententia negativa tribuitur Scoto ibidem, ubi expreſsè negare videtur, neceſſarium eſſe ſpecialem habitum infuſum ad imperandos fidei actus, quam paſſim ſequuntur Scotiſtæ. Secunda verò ſententia affirmat, talem habitum eſſe neceſſariò in voluntate ponendum, quæ eſt communis inter Recentiores; qui tamen poſteà diſputant, quænam ſit hęc virtus, quæ in voluntate ponenda eſt ad imperandos fidei actus; quidam enim dicunt eſſe ipſum fidei habitum, qui ſimul reſidet in intellectu, & voluntate pro qua refertur D. Bonavent. 3. *diſt.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 2. & Alenſis 3. *par. qu.* 66. *membr.* 8. Alii volunt hanc eſſe virtutem obedientiæ, quia dum credimus, dicimur obedire fidei, & captivare intellectum in obſequium Chriſti iuxtà illud ad Rom. 1. *Accepiſtis gratiam, & apoſtolatum ad obediendum fidei.* Alii opinantur eſſe virtutem Religionis, quia per talem actum creatura voluntariè ſubiicitur Deo teſtificanti, quæ ſubiectio eſt quidam cultus Dei ad virtutem Religionis pertinens; Alii arbitrantur eſſe virtutem ſtudioſitatis, cuius eſt moderari appetitum ſciendi. Alii eſſe virtutem urbanitatis, quia ſicut credere homini, quando res prudenter proponitur, eſt virtus urbanitatis, ita & Deo. Alii tandem eſſe unum ſpecialem habitum ad prædictos actus inclinantem, quem piam vocant affectionem, ut Suarez, Arriaga, Coninc. & cæteri Recentiores.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæſtionis Deciſio quoad primam partem.

263 DIcendum Primò, affectum voluntatis credendi eſſe debere ſupernaturalem ſaltem quoad modum. Hæc eſt communis inter Recentiores, ut videre eſt apud Suarez, Torres, Caſpenſem, Amicum, Cardinalem de Lugo, Coninchium, Arriagam, Becanum, Poncium, & alios, neque eſt Scoto difformis loc. cit. ut poſteà dicam. Probatur potiſſimum ex Conciliis, Patribus, & Scripturis illam credendi voluntatem tribuentibus gratiæ Dei non minus, quam ipſum fidei aſſenſum; Ità præſertim habetur in Arauſicano 2. can. 2. & 5. ubi definit pium credulitatis affectum, quem initium fidei vocat, eſſe donum gratiæ Dei; quod etiam ex Tridentino ſuadetur ſeſs. 6. c. 6. ubi definitur, hominem ex gratia Dei libere moveri ad fidem; ex quo etiam ratio deducitur, quia ſi ille credendi affectus, quem vocat Arauſicanum initium fidei, eſſet naturalis, ſeù ex viribus naturæ elicitus, iam noſtræ ſalutis initium eſſet ex nobis, & non, ex gratia, quod hæreticum eſt, ſequela patet, quia initium noſtræ ſalutis eſt fides; ſed initium fidei eſt hæc voluntas; ergò ſi hæc voluntas eſſet ex nobis, hoc eſt, ex viribus noſtris, iam nos per nos ipſos noſtrę ſaluti initium daremus. Et cum hæc voluntas ſit ultima diſpoſitio ad donum fidei, ſi hæc voluntas viribus naturæ eliceretur, homo per eaſdem vires ad donum gratiæ ultimò ſe diſponeret.

264 Reſpondet quidam Scotiſta, ut Scotum defendat *loc. cit.* Conſilium Arauſicanum; quod expreſſius loquitur de hoc credendi affectu, loqui de iis, qui primò ex infidelitate ad fidem convertuntur, non autem de iis, qui fidem ſemel ſuſceperunt, quia cum hi fidei habitum in ſe habeant à propria voluntate in operando dependentem, etiam ex motivo naturali eo uti poſſunt; quæ ſolutio ſatis conſona videtur doctrinæ iam traditæ *quæſt. præced. n.* 247. ubi de mente Scoti diximus, quod licet ab initio, quando primò intellectus aſſentitur obiecto fidei, ſit neceſſarius actus ſupernaturalis voluntatis ad credendum, & ſubiiciendum intellectum Chriſtianæ fidei; poſteà tamen quando fidelis iam aſſuetus eſt ad aſſentiendum myſteriis fidei, talis actus voluntatis neceſſarius non videtur, quo ad credendum applicetur, ſed tantùm quo applicetur ad cogitandum de rebus fidei; Et quidem quod Arauſicanum Concilium de illo primo actu loquatur, quo quis ex infidelitate ad fidem primò convertitur, patet ex ejus expreſſis verbis can. 5. ubi expreſsè de eo loquitur, qui ex inſpiratione Spiritus Sancti per talem credendi voluntatem convertitur de infidelitate ad fidem, & ab impietate ad pietatem; hæc enim ſunt expreſſa Concilii verba, ad quæ ſaluanda allata reſponſio ſufficere videtur.

265 Verùm eſtò Concilium in hoc ſenſu eo Canone 5. loquatur, de iis nimirum qui ab infidelitate ad fidem primò cóvertuntur ſequenti tamen Canone univerſaliter loquitur de omnibus, quatenus ad omnes actus virtutum docet prærequiri voluntatem gratuitam, & requiri auxilium præveniens, ac etiam adiuvans, ut inſinuatur in Concil. quoque Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. ubi etiam, non limitatè, ſed abſolutè, ac indefinitè docet hominem ex gratia Dei liberè moveri ad fidem: Neque Scotus abſolutè dixit *loc. cit.* ad actum fidei infuſæ ſufficere imperium naturale voluntatis, ſeù naturæ viribus elicitum; ſed tantum dixit fidelem per actum naturalem voluntatis poſſe ſe applicare ad conſiderandum, & contemplandum in materia fidei; & poſteà per habitum infuſum exercere actum credendi ſine alia motione, vel actuali imperio voluntatis per hoc ſolùm, quod ipſa non contradicat; quæ quidem non contradictio eſſe poteſt ex ſpeciali Dei adiutorio, non minus, quàm poſitiva motio voluntatis ad credendum, undè per hoc præciſè adhuc bene ſaluatur, tùm libertas, tùm ſupernaturalitas, quantum requiritur ex parte voluntatis, & ut Concilia loquuntur, quia in ſententia noſtra dari poteſt pura omiſſio libera, & ſupernaturalis, ut patet ex *diſp.* de actibus humanis, & ità jam Scotum explicuimus *q. præc. n.* 261.

266 Dixi autem hanc piam credendi affectionem eſſe debere ſupernaturalem *ſaltem quoad modum*, quia nec auctoritate, nec ratione poteſt conſtare alia ipſius ſupernaturalitas, quam quod ſit ex gratia particulari, & donum Dei conduces ad vitam æternam; ex hoc autem non conſtat, quod ſit ſupernaturalis in ſubſtantia, nam adhuc totum illud verificaretur, quamvis eſſet ſupernaturalis tantum quoad modum, ut conſtat ex dictis *quæſt.* 6. Tum quia ex eo præſertim probant Recentiores, quod ea